

MANETHONIS SEBENNYTAE

RELIQUIAE.

Manetho, the historian

MANETHONIS SEBENNYTAE RELIQUIAE.

COLLEGIT ET ILLUSTRAVIT

ROBERT FRUIN,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

(DISSERTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS.)

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCXLVII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PATRIS DESIDERATI MEMORIAE

STUDIORUM PRIMITIAS
PIE DEDICAT
A.

OPUSCULI CONSPECTUS.

PROLEGOMENA.

Omnium, quae ad philologicam encyclopaediam pertinent, disciplinarum nulla nostro saeculo naturam et formam magis mutavit quam antiquae historiae investigatio, quae nunc demum vera exstitisse recte dicatur. Nam qui antea veterum populorum historiam conscribere aggressi erant, munere defuncti esse sibi et aliis videbantur, si quae ab ipsis veteribus tradita accepissent aliis verbis repetivissent, et si diversas, imo saepe sibi invicem oppugnantes et contrarias veterum relationes in concordiam vi an arte coegissent. Omne, quod adhibebant, iudicium hoc erat: historicos in bonos et malos dividebant, quorum narrata si forte nimis distarent, his nunquam, illis semper fidem habebant. Optimi habebantur v. c. Graecorum Herodotus, Romanorum Livius, quorum non solum narrationibus, sed etiam coniecturis non credere crimen censebatur. Ex ista ratione quot errores in his-

publica ἀναγραφῇ exponebantur, et universe singulae civitates suas quaeque habebant ἀναγραφάς, in quibus omnis chronologia nitebatur. Quare Timaeus, teste Polybio, quum χρονικὰ πραξίδια conscriberet, Spartanorum ephoros cum eorundem regibus, archontes Atticos et Iunonis Argivae sacerdotes cum Olympiorum victoribus conferebat. Haec si superessent monumenta, pergit Muellerus, fundamentum historiae haud contèmnendum efficerent, sed tantum fundamentum: ipsa historia ex aliis fontibus restituenda semper erit, ex epicorum nempe et lyricorum, qui remotis aevis floruerunt, reliquiis, et ante omnia e traditione populari, quae quidem in nominibus et numeris passim errans, semper tamen veri aliquid continet.

Quam negligenter et sine iudicio huiusmodi historicis documentis usi sint veteres, iidem Muellerus et Niebuhrius saepius demonstrarunt. Quare, multis illorum opinionibus et coniecturis reiectis, materiem, quam servarunt, solam accipere, eamque ipsum elaborare históricum oportet. Sed utinam materies amplior superesset! Utinam ipsas ἀναγραφάς et annales inspicere, mythos et popularia carmina audire adhuc historico liceret! Qualem enim Romanarum rerum historiam conscripsisset Niebuhrius, si fontibus, quae Livio patuerant, uti potuisset; qualem Graecarum stirpium Muellerus, si ex ipsius populi ore mythos excipere illi contigisset!

Quod autem nobis in cognoscenda Romanorum et Graecorum mythica aetate fortuna negavit, id in Pharaonum antiquo imperio datum esse, quis triginta

ante annos credidisset? Et tamen ita est. Duplicem enim hic fontem, ex quo sua Graecos et Romanos historicos unice hausisse vidimus, nostra aetate aperuerunt Champollionis eiusque discipulorum inventa. Quod quum negare aut ignorare multos videam, paullo fusius praesidia, quae nobis ad universam Aegypti historiam restituendam supersunt, enumerabo.

Monumenta chronologica quatuor praecipua, quamvis misere mutilata, aetatem tulerunt: toichographiae Thebana et Abydena, ἀναγραφὴ Taurinensis [1]) et Manethonis Aegyptiaca. Toichographiae, haec Ramessen, illa Thutmosin exhibent sacrificantes pluribus quam quinquaginta regibus antecessoribus, quibus suum cuique nomen adscriptum est. Propter fracturas in utraque tabula plura perierunt nomina, neque omnes sed praecipui tantum Pharaones in iis exponebantur, quare, quamvis maximi pretii nobis sint, tamen unicum chronologiae fundamentum nunquam iure habebuntur.

Ἀναγραφὴ Taurinensis vero, si modo integra ad nos pervenisset, veteris regni chronologiam haud paullo certiorem nobis reddidisset. Est enim papyrus hieratice scriptus singulorum regum nomina et annos quot singuli regnaverint continens. Variis argumentis constat eam tempore XIX^ae^ dynastiae i. e. saeculo XIII° a. C. N. compositam esse, et verisimillimum est auctorem omnium Pharaonum nomina tradere voluisse.

---

[1]) Germani appellant: *die Königsreihen von Karnak*, *die Königsreihen von Abydos*, *die Turiner Königsannalen.*

Quantivis ergo pretii est, etsi fragmenta tantum supersunt, nam fides et auctoritas talis documenti in dubium vocari nequit. Egregie porro convenit cum Manethonis Aegyptiacorum fragmentis, de quibus mox accuratius disputabo [1]).

Praeter haec quatuor, alia innumerabilia, quamvis secundaria, chronologiae monumenta ad nos pervenerunt: solebant enim Aegyptii perscriptionibus, et stelis ad cuiusvis facti aut eventus memoriam positis inscribere, quoto cuius regis anno illud, quod memorarent, accidisset; cuiusmodi plurimas cognoscimus inscriptiones: quarum relatione primaria documenta nonnunquam corrigi, saepius confirmari possunt. Horum omnium auxilio chronologia Aegyptiaca sine dubio aliquando optime poterit restitui. Remanebunt fortasse nonnullae difficultates, sed non tot neque tantae, quot in ceterorum populorum primordiis. Attamen nihil hoc nos iuvabit, nisi ipsa historia quoque e tenebris in lucem possit proferri. Nam quid iucundi aut utilis nuda nominum et temporum series habet? Sed bene evenit, ut satis ampla materies supersit, ex qua fundamento chronologico ipsum historiae aedificium superstruatur. Cognoscimus enim et melius etiam in diem cognoscemus utramque, qua utebantur Aegyptii, linguam, vulgarem et sacram i. e. antiquiorem; et quantum lucis e natura linguae ad

---

1) Qui plura de his monumentis discere cupiat, adeat ante omnes Bunsenii utilissimum opus, cui titulus: *Aegyptens Stelle in der Weltgeschichte*, ubi vol. I. p. 62-87. accurate de iis agitur.

historiam redundet docuerunt acutiores historici et Muellerus, in prooemio ad archaeologiam Etruscam. Et quo melius vera indoles linguae est cognita, eo maioris ad explicandam historiam momenti est: Aegyptiorum autem sacra lingua, nativo colore et simplicitate, quae nihil ex alieno traxerit, conspicua atque integra, ut nulla alia, ex vetustis monumentis addisci potest.

Sed quem praecipuum antiquae historiae fontem praedicavi, traditio popularis et mythi, apud Aegyptios exsistere vix potuerunt; nullae certe, deinde scripto mandatae, ad nos pervenerunt. Nec tamen ideo spem ut aliquando huius populi historia, iure sic dicenda, restituatur deponamus. Esset deponenda, nisi in mythorum locum alia monumenta venirent. Sed exstant in palatiorum et templorum parietibus innumerabiles tabulae, in quibus omnia, quae ad bellum et pacem pertinent, religiose depicta sunt. Cernuntur ibi proelia Aegyptiorum cum peregrinis, quorum vultus, vestitus, armatura quam accuratissime expressa sunt; cernuntur Aegyptii milites hostium urbem aut arcem vi capientes; cernuntur praeda qua potiti sunt, tributa a victis gentibus exacta, denique Pharao diis patriis tot captivos, quot gentes subegerit et urbes ceperit, offerens, quorum suae quisque gentis aut urbis nomen in clypeo pectori praefixo inscriptum gerit. Quae tabulae, etsi universe sine dubio verum bellorum eventum tradant, tamen mythis quodammodo similiores sunt: Aegyptiorum enim res gestae in illis extolluntur, barbarorum

deminuuntur, hi fugaces semper, illi non nisi victores apparent. Ante omnia ipsius Pharaonis effigies mythum arguit. Depingitur nunc hostium catervos solus fugans et fundens, nunc decem et plures barbarorum uno ictu caedens; multo maiori semper statura quam ceteri milites fingitur, et omnino non homo sed Homericus heros videtur. Universe eiusmodi tabulae, Aegyptiorum proelia imitantes, Homericis pugnae descriptionibus multa similia habent. Exstat e. g. in Ramesseo Thebano tabula victoriam exponens, quam a Chetis (Chettaeis veteris Testamenti) Rhameses Magnus reportavit [1]). Regem ibi giganteo habitu vides curru invectum, in hostium ordines irruentem, mortuos et morientes hostium duces equorum pedibus proculcantem, fugaces telis prosternentem: Achillem videre credas depictum, qualis in *μαχῇ παραποταμίᾳ* solus, *δαίμονι ἶσος*, fugatos Troianos, ut delphin ceteros pisces, insequitur et caedit, quemque nemo nisi deus sistere valet.

Neque solum quae res bellicas exhibent tabulae lucem historiae afferunt, verum etiam innumerabiles istae, quae uniuscuiusque artis et opificii fidelissimam imaginem praebent. Quarum varietatem et utilitatem describere longum est, praestat ad earum exempla a Wilkinsone et Champollione [2]) reddita lectorem

---

[1]) Vide Champollionis *epistolam ex Aegypto scriptam* XIV.

[2]) Tituli librorum sunt: *Monuments de l'Egypte et de la Nubie d'après les dessins exécutés sur les lieux sous la dir. ction de* Champollion le Jeune 4 *vol. grand in-folio.* — Wilkinson,

remittere. Et quoniam ex inscriptionibus picturae adiectis aetas cuiusque tabulae patet, ex illis humanitatis apud Aegyptios historia multo accuratior et plenior quam ceterorum veterum populorum componi poterit. Neque vix ullum alicuius generis monumentum est servatum, quod historiae plane inutile sit. Vel Pharaonum imagines, quae semper ipsum vultum et habitum fidelissime exprimunt, interdum aliquid docent. Sic v. c. Amenopheos tertii lineamenta oris ad notam Aethiopicam propius quam ad Aegyptiacam accedunt, unde coniecerunt Aegyptologi eum e matre Aethiope natum fuisse, quod monumenta et inscriptiones deinde confirmarunt [1]).

Brevis haec fontium enumeratio satis eos refutabit, spero, qui, de restituenda Aegypti chronologia et historia desperantes, operam perditurum putant quicunque in iis illustrandis versetur. — Immenso et continuo plurium labore opus est, antequam finem attingemus; sed finem attingemus, modo ne nimis festinanter agamus. Continuam iam nunc conscribere historiam intempestivum est: prius singuli fontes accurate explorandi sunt, quid promittant et valeant statuendum; ita demum de componendis rebus cogitare licebit. Richardus Lepsius, quo post Champollionem, nemo melius de Aegyptiaca antiquitate me-

---

Manners and customs of the ancient Egyptians 3 *voll.* 8°. *London* 1837. *Second series* 2 *voll. and a vol. of plates. London* 1841.

[1]) Vide Champollion-Figeac, *Egypte ancienne.* p. 315 sq.

ritus est, praecipua chronologiae documenta hieroglyphice et hieratice conscripta sibi explicanda sumsit; quibuscum quoniam Manethonis Aegyptiaca arcte cohaerent, horum fragmenta colligendi et illustrandi consilium cepi. Eorum, quae ad restituenda aut explicanda fragmenta conducere possint, nihil consulto praeterii: de scriptoris aetate, patria, doctrina et fide, de fontibus ex quibus hauserit, ut potui, inquisivi; sed utrum cum antiquis monumentis consentiat nec ne, utrum cum Herodoto et Diodoro conveniat, utrum Iudaicae chronologiae adversetur, diiudicare non sum conatus. Nam praeterquam quod tempus de talibus disceptandi nondum adesse arbitror, promisit Lepsius se propediem reges a Manethone enumeratos cum omnibus, quot adhuc reperta sunt, regum nominibus accurate collaturum. Quod opus quum mox proditurum exspectemus, eo lectorem, ne actum agam, remittere malo.

§ 1.

Inter veteres scriptores pauci sunt, de quorum auctoritate et fide tam in contraria omnia viri docti eunt, quam de Manethonis. Si aliis credamus, hariolator est, rerum quas explicare profitetur plane ignarus, si aliis, historicus fide dignissimus, Graeca doctrina et Aegyptiorum sapientia iuxta imbutus. Ecclesiastici de eo minime iam conveniunt: Eusebius in Manethone praesertim Aegypti historiam niti opinatur; Syncellus eum mendacem fabularum venditorem

appellat. Recentiori aevo Scaliger (Canon. Isagog. p. 317): »nihil felicius nobiscum agi potuisse," contendit, »quam si integri tomi Manethonis ad nos pervenissent;" et Vossius (de histor. Graec. p. 127. ed. Westermanni): »quamquam optandum esset ut scri»ptor hic integer ad nos pervenisset, tamen bene »saltem est quod luculenta quaedam fragmenta con»servavit nobis Iosephus." Contra Perizonius (Origin. Aegypt. p. 359): »Crediderim," ait, »Manethonem »priores dynastias XIV fere numero plane confinxisse, »ut Aegyptiorum antiquitatem supra alias gentes ex»tolleret." Tandem Iablonskius, diligentissimus Aegyptiacae antiquitatis investigator (Panth. Aegypt. prolegom. p. 67): »Totus animi," inquit, »pendeo »ancepsque quodnam de Manethonis aut diligentia aut »peritia aut accuratione aut bona denique fide iudi»cium ferre debeam [1])."

Haec tantorum virorum lis sub iudice fortasse semper mansisset, nisi Champollionis acumen tandem ad Aegyptiacae scripturae rationem explicandam et hieroglyphicarum inscriptionum sensum definiendum pervenisset. Tunc regum, quos Manetho memoraverat, plurimorum nomina vetustis monumentis inscripta inveniebantur, et vocabula Aegyptiaca, quae Graece interpretatus erat, eadem significatione in inscriptionibus legebantur. Tum vero Manethonem uno ore

---

[1]) Chronologorum de Manethonis Aegyptiacis indicia sedulo collecta invenies in Schoellii *historia Graec. liter.* II. p. 128 sq. (edit. German. Berolin. 1830).

laudare omnes, qui Aegyptiacis literis incubuerant; secundum eius chronologiam monumenta antiqua disponere; et ubi quaestionem historicam e reliquis auxiliis solvere non possent, utinam, exclamabant, Manethonis Aegyptiaca servata essent: tenebrae omnes discuterentur! In perpetuum igitur Manethonis auctoritas stabilita videbatur. Sed, ecce, maximum, ne rursus convelleretur, imminebat periculum: Cl. Hengstenbergius, Iudaicae Chronologiae vindex, omnium illius adversariorum argumenta collegit, nova eaque gravissima addidit, quibus demonstrare conatus est [1]): Manethonis Aegyptiacis nihil tribuendum esse, quippe quae diu post Philadelphum a Graeculo aliquo e fontibus auctoritate destitutis essent conflata. Hunc libellum, multa ira et studio, haud accurata Aegyptiacae antiquitatis cognitione, conscriptum, passim refutare conabor. Primus Aug. Boeckhius de industria et ea, quam argumentum postulat, diligentia de Manethone egit, in libro de Manethone et Sothiaca periodo [2]); et paullo post Bunsenius, in utilissimo libro de Aegypti historia [3]), Aegyptiacorum fragmenta collegit, et de Manethonis aetate et auctoritate docte et accurate disputavit.

---

[1]) Titulus libri est: *die Bücher Mose's und Aegypten, nebst einer Beilage: Manetho und die Hycsos. Berlin* 1841.

[2]) Aug. Böckh, *Manetho und die Hundstern periode. Berlin* 1845.

[3]) Bunsen, *Aegyptens Stelle in der Weltgeschichte. Berlin* 1845. Buch. I. 88-125; III. 1-52. — Ante Bunsenium nemo, quantum scio, fragmenta historica collegit, etsi Schoell, *Hist. Graec. liter.* II. p. 131. tradat ea Josephum Scaligerum libro de emendatione temporum adiecisse.

Post tales viros, iterum argumentum illud tractare, audacia fortasse et arrogantia, praesertim in adolescente, videri possit: sed quia multas et gravissimas quaestiones illi attigerunt tantum, alias praetermiserunt, alias ita explicarunt, ut modeste dubitare liceat an recte explicaverint, ego omnia ista repetere, et ad lucem nuperrimorum inventorum altius inspicere sustinui.

§ 2.

E vulgari opinione [1]) Manetho sacerdos fuit et notarius sacrorum penetralium Aegypti, genere Sebennyta, Heliopolitanus; scripsit historiam patriae per triginta dynastias, iussu Ptolemaei Philadelphi, fontibus usus columnis et libris Mercurii.

Haec omnia praesertim auctoritate Georgii Syncelli nituntur; de quo igitur hic erit agendum. Verba Syncelli Chronographiae p. 40 sq. haec sunt. *Πρόκειται δὲ λοιπὸν καὶ περὶ τῆς τῶν Αἰγυπτίων δυναστείας μικρὰ διαλαβεῖν ἐκ τῶν Μανεθῶ τοῦ Σεβεννύτου, ὃς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδωλείων χρηματίσας, ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν, ἱερᾷ, φησὶ, διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς*

---

1). Cff. Scaliger, *ad Eusebium* p. 408. Fabricius, *Biblioth. Graec.* l. III. c. 20. Vossius, *de Hist. Graec.* p. 126. ed. Westermann. Marsham, *Can. Chron.* p. 2. edit. Lips. Perizonius, *Origin. Aegyp.* p. 198. Zoega, *de obeliscis* p. 36. Schoell., *Histor. Graec. lit.* II. p. 128. Heerenius, *de Aegypto* p. 212. Prichard, *Mythol. Aegypt.* p. 375. edit. German., Hengstenberg, p. 237.

γράμμασι κεχαρακτηρισμένων ὑπὸ Θὼθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθέντων ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ Ἀγαθοδαίμονος, υἱοῦ τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ, πατρὸς δὲ τοῦ Τὰτ, ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγύπτου, προσεφώνησε τῷ αὐτῷ Φιλαδέλφῳ βασιλεῖ δευτέρῳ Πτολεμαίῳ ἐν τῇ βίβλῳ τῆς Σώθεως γράφων ἐπὶ λέξεως οὕτως.

Ἐπιστολὴ Μανεθῶ τοῦ Σεβεννύτου πρὸς Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον.

Βασιλεῖ μεγάλῳ Πτολεμαίῳ Φιλαδέλφῳ Σεβαστῷ Μανεθῶ ἀρχιερεὺς καὶ γραμματεὺς τῶν κατ᾽ Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων, γένει Σεβεννύτης ὑπάρχων, Ἡλιουπολίτης, τῷ δεσπότῃ μου Πτολεμαίῳ χαίρειν.

Ἡμᾶς δεῖ λογίζεσθαι, μέγιστε βασιλεῦ, περὶ πάντων, ὧν ἐὰν βούλῃ ἡμᾶς ἐξετάσαι πραγμάτων· ἐπιζητοῦντί σοι περὶ τῶν μελλόντων τῷ κόσμῳ γίγνεσθαι, καθὼς ἐκέλευσάς μοι, παραφανήσεταί σοι ἃ ἔμαθον ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. Ἔρρωσό μοι, δέσποτά μου βασιλεῦ.

Ταῦτα περὶ τῆς ἑρμηνείας τῶν ὑπὸ τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ βιβλίων λέγει. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ περὶ ἐθνῶν Αἰγυπτιακῶν πέντε ἐν τριάκοντα δυναστείαις ἱστορεῖ τῶν λεγομένων παρ᾽ αὐτοῖς θεῶν καὶ ἡμιθέων καὶ νεκύων καὶ θνητῶν κτέ.

Syncellus loquitur de libro *τῆς Σώθεως*. Qui igitur in his verbis testimonium de Aegyptiacorum scriptore se habere putat, ille aut *Aegyptiaca* et librum *τῆς Σώθεως* eadem esse censeat, aut diversa eidem auctori

tribuat necesse est. Utramque opinionem spectemus, num sit probabilis.

Quod ad priorem: historiam Aegypti in libro Caniculae expositam fuisse opinantur Scaliger aliique, et inprimis Hengstenbergius. Unice tamen hoc in eo nititur, quod Syncellus ita se habuisse affirmat. Sed eam modo esse coniecturam Syncelli facile demonstrari potest; nam constat, ut infra explicabo, eum Manethonis historicum opus nunquam, neque igitur *βίβλῳ τῆς Σώθεως* adiectum, in manibus habuisse, sed ex Africani et Eusebii compendiis tantum novisse; ex quibus hunc locum non descripsit, ut Scaliger putaverat, nam in Eusebiani Chronici versione Armeniaca nihil de *libro Caniculae* narratur. Atque ista Syncelli coniectura sine dubio falsa est. Nam certo scimus historiam Aegypti non *βίβλος τ. Σ.* sed *Αἰγυπτιακὰ* inscriptam fuisse, et praeterea singulorum voluminum argumenta accurate novimus, unde patet initio locum non fuisse, cui inseri posset commentatio, de argumento alieno, eaque tantae amplitudinis, ex qua totum opus nominaretur. Ipso denique Syncello auctore, *liber Caniculae* *περὶ τῶν μελλοντων τῷ κόσμῳ γίγνεσθαι* agebat, quod profecto historiae expositioni, etiam Aegyptiacae, parum convenit.

Qui tali argumentatione perducti Syncello fidem negant et *Caniculae librum* ab *Aegyptiacis* distinguunt, omnes fere [1]) eidem tamen Manethoni

[1]) Boeckhius p. 13 sq., Bunsenius I. p. 256 sq. et Letronnius ad Inscr. Rosett. V. 19 auctorem libri *τ. Σ.* nomen Manethonis mentitum esse suspicantur.

utrumque opus tribuunt, quoniam utriusque auctor Manetho Sebennyta, Aegyptius sacerdos nominatur. Sed Hengstenbergius aliique iam observaverunt scriptorem epistolae ad Philadelphum, *libro Caniculae* praemissae, secundi Ptolemaei aetatem simulasse, revera ante Romanorum imperatorum tempus non vixisse. Si hoc demonstratum erit, sique liber *τ. Σ.* et *Aegyptiaca* eiusdem sunt scriptoris, historia fidem non merebitur, sed cum Hengstenbergio, nihil *Aegyptiacis* tribuenti, faciendum nobis erit. Si contra certissimis argumentis comprobare potero, *Aegyptiacorum* auctorem Manethonem quemdam esse, Ptolemaei Philadelphi aequalem, ex ordine sacerdotum, Sebennytam, statuendum erit, ni fallor, scriptorem libri *τ. Σ.*, quo fidem sibi conciliaret, Manethonis nomen mentitum esse.

Sed prius videamus an revera scriptor *libri de Canicula* secundi Ptolemaei aevo vixisse potuerit: ex brevi annotatione ad Syncelli locum illud optime diiudicabitur [1]).

στηλαὶ ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ] Harum columnarum mentionem facit quoque Iosephus Archaeol. Iudaic. I. 2. qui regionem *Σιριάδα γῆν* nominat, et Seth, Adami filium, eas posuisse tradit. Aegyptii non magis hanc regionem noverunt quam deluvium, quod statim memoratur. Quamobrem pro *Σηριαδικῇ Συριγγικῇ* legendum putat Valesius ad Ammianum Marcellinum

---

[1]) Cff. inprimis Zoega, *de obeliscis* p. 36. Heerenius, p. 420. Boeckhius, p. 12 sq. Hengstenbergius, p. 240 sq.

iecturam non probabilem fecisse Manethonem, quo vitio pauci, ni fallor, historici plane immunes sunt. Neque mirum est in illud eum incidisse. Nam omnibus tunc temporis Graecis persuasum erat Aegyptum et Danaum historica esse nomina, quorum aetatem chronographi definiebant. Vix potuit igitur quin Manetho, eadem sine dubio opinione imbutus, in Aegyptiorum annalibus Graecorum heroes sub alio nomine latere crederet, et sic tandem Sethosim Aegypto et fratrem illius Armain Danao assimularet. Erravit, fateor, sed cum illo omnes Graeci erraverunt; neque, quia male interdum coniicit, propterea narranti illi quae e puro fonte hauserit, fides abroganda est.

§ 5.

Manethonis plura memorantur opera, quorum praecipuum historia Aegypti, de quo nunc accuratius agam. Inscriptum erat *Αἰγυπτιακά*, ut discimus ex Iosepho, Manethonem citante *ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Αἰγυπτιακῶν*. In Eusebii vero chronici versione Armeniaca legitur: »E Manethonis monumentis Aegyptiacis," quare Boeckhius p. 11 coniecit titulum fuisse *Αἰγυπτιακὰ ὑπομνήματα*. Sed Iosephi auctoritas hac in re multo maioris quam istius versionis aestimanda est. Neque porro perpetuae historiae talis titulus conveniret: ut Xenophon *Hellenica* et Berosus *Chaldaïca*, sic Manetho *Aegyptiaca* suum opus recte inscripsit. Testantibus Africano aliisque, divisum erat in tres *τόμους*, quos *βίβλους* minus accurate Iosephus appellat.

Primus a mythico deorum regno incipiebat et deinceps Aegypti origines usque ad Ammenemen primum complectebatur; secundus historiam continuabat usque ad Thuorim regem, quem Troiani belli aequalem fuisse Africanus statuit, tertius ab eo inde tempore usque ad ultimum Pharaonem Nectanebo res Aegypti exponebat [1]). Hanc divisionem ab Africano relatam in suo exemplari etiam invenisse videtur Iosephus, nam pastorum dominationem e secundo libro affert, ubi secundum Africani quoque divisionem de istis agebatur. Aliam distributionem refert Barbarus, ut vocatur, cuius variorum chronographorum excerpta una cum Eusebio edidit Scaliger, ex qua primus liber regnum deorum et qui Menam regem antecesserunt, secundus sedecim priores dynastias, tertius reliquas continuisset. Sed nullius pretii istud testimonium mihi est, quamvis Marshamus, Can. chron. p. 466, multo concinniorem hanc divisionem quam Africani censeat. Cur autem in has tres potissime partes historiam patriae distinxerit Manetho, nondum explicari potest; fortasse accuratior historiae cognitio deinde recte eam sic fuisse divisam ostendet. Minime tamen convenit cum ea divisione quam Aegyptologi acceperunt, secundam quam *antiqua*, *media* et *recentior* Aegypti aetas distinguuntur.

Singula rursus in plures dynastias distributa fuisse tradunt Africanus, Eusebius, Syncellus, scholiasta

---

1) Dynastiam trigesimam primam, Persarum, spuriam esse infra videbimus.

Haec annotatio, credo, satis ostendit librum *τῆς Σώθεως* diu post Philadelphi aetatem compositum fuisse. Addam aliud argumentum e materia operis petitum. Ut ex ipsa epistola noscimus, rogatus *περὶ τῶν μελλόντων τῷ κόσμῳ γίγνεσθαι* auctor *Caniculae librum* conscripsit, ex quo sequitur hunc librum de rebus futuris scriptum. Sed cur liber talis argumenti inscriptus esset *βίβλος τῆς Σώθεως?* Non intellexerunt viri docti, et propterea crediderunt praeter res futuras de aliis etiam in *libro Caniculae* actum. Secundum Idelerum (Enchirid. Chronolog. Mathemat. et Technic. I. p. 135) in eo explicabatur origo et usus Sothiacae periodi; secundum Creuzerum (Mytholog. et Symbolic. I. p. 369 2ae edit.) periodus Sothiaca aut cynicus cyclus; secundum Boeckhium, Sothiaca periodus, quatenus ad enarrandas res futuras, fortasse etiam ad praeteritas conduceret. Sed manifestum est in libro *τ. Σ.* non nisi res futuras expositas fuisse. Quod ut lucide appareat, rem paulo altius repetam.

Sothis Aegyptiacum nomen stellae est, quam Graeci *κύνα* et *Σείριον* vocant. Vocis etymologiam affert Plutarchus de Iside c. 61: *Σωθὶ σημαίνει κύησιν ἢ τὸ κύειν· διὸ καὶ παρατροπῆς γενομένης τοῦ ὀνόματος Ἑλληνιστὶ κύων κέκληται τὸ ἄστρον, ὅπερ ἴδιον τῆς Ἴσιδος νομίζουσιν.* Hanc explicationem, quae sine dubio vera non est, frustra defendere conati sunt Iablonskius Panth. Aegypt. II. p. 48 et Zoega de obeliscis p. 453. Recentiores multi, et inter eos Idelerus Enchir. Chronol. I. p. 126 et Boeckhius p. 19, *Sothis* idem esse ac *Thoth* opinantur. Qua de re

dubito, quia Aegyptiorum *T.* et *Σ.* nunquam confunduntur. Bunsenius I. p. 500 et III. p. 150 *Sothis* Graecam pronunciationem esse statuit nominis Aegyptii dei *Seth*, quem Graeci vulgo *Typhonem* vocant; sed Plutarchus, libelli laudati c. 2, diserte tradit *Typhonis* stellam non *Sothim* sed *Arcturum* esse. Mihi probabilius videtur, quoniam Isidi sacra Sothis fuit, nomen compositum esse *Sū· t· Hes* i. e. *stella Isidis.* Cui derivationi vero obstat, quod *Siū* vel *Sū* non feminini, sed masculini generis in vulgari dialecto est; utrum etiam in sacra lingua nec ne, nescio.

A Sotheos exortu annus Aegyptiacus fixus, ut dicitur, i. e. 365¼ dierum, incipiebat, quod docet Porphyrius de antro Nympharum c. 24: *Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὑδροχόος ὡς Ρωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος. πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν Κύνος ἀστέρα οἱ Ἕλληνές φασιν· νουμηνία δ' αὐτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολὴ γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον.* Eodem tempore Nilus inundare incipiebat, teste Theone ad Arati Phaenom. v. 152: *Ὅλον δὲ τὸ ἄστρον (τὸν λέοντα) ἀφιερώκασιν ἡλίῳ· τότε γὰρ ἐμβαίνει καὶ ὁ Νεῖλος, καὶ ἡ τοῦ Κύνος ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται, καὶ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν εἶναι τὸν Κύνα λέγουσι καὶ τὴν ἐπιτολὴν αὐτοῦ.* Ut autem Aegyptii, auctore Herodoto l. II. c. 82, vaticinabantur e die natali *ὁτέοισι ἕκαστος ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει καὶ ὁκοῖός τις ἔσται*, ita etiam e fulgore et habitu Sotheos, quando exoriebatur, praedicere solebant quantum anno instante Nilus assurgeret, ut tradit Hephaestion Thebanus, *περὶ ἐπισημασιῶν τῆς*

τοῦ κυνὸς ἐπιτολῆς, in Bainbrigii Canicularis p. 27; deinde etiam de omnibus quae hoc anno futura essent divinabant, quod discimus ex Horapollinis Hieroglyph. I. c. 3: *ὅς (Σῶθις ἀστὴρ) καὶ δοκεῖ βασιλεύειν τῶν λοιπῶν ἀστέρων, ὁτὲ μὲν μείζων, ὁτὲ δὲ ἧσσων ἀνατέλλων, καὶ ὁτὲ μὲν λαμπρότερος, ὁτὲ δὲ οὐχ οὕτως. ἔτι δὲ καὶ διότι, κατὰ τὴν τούτου τοῦ ἄστρου ἀνατολὴν σημειούμεθα περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ μελλόντων τελεῖσθαι* [1]). Ex his, ni fallor, manifestum est, librum *τῆς Σώθεως* non de Sothiaca periodo sed de *ἐπισημασίαις τῆς τοῦ Κύνος ἐπιτολῆς* fuisse scriptum, unde sequitur Aegyptiaca ab hoc opere probe distinguenda.

Animadvertendum est fontes, ex quibus huius libri scriptor hausisse se profitetur, *ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ, καὶ ἀποτεθέντα ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγύπτου*, eosdem plane esse, quibus se usum iactat auctor Apotelesmaticorum, Manethoni item adscriptorum, l. V. v. 1 sq.

Ἐξ ἀδύτων ἱερῶν βίβλων, βασιλεῦ Πτολεμαῖε,
καὶ κρυφίμων στηλῶν, ἃς ηὕρατο πάνσοφος Ἑρμῆς κτέ.

Quae Apotelesmatica eodem fere tempore quo liber *τ. Σ.* conscripta esse certissimis argumentis iam demonstrarunt Axtius et Riglerus, in prooemio ad Manethonis Apotelesmatica.

---

[1]) Idem de Ceis narrat Cicero *de divinat.* I. c. 57. » *Etenim Ceos* » *accepimus ortum Caniculae diligenter quotannis solere servare,* » *coniecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, sa-* » *lubrisne an pestilens annus futurus sit.*"

Si igitur apparuerit Manethonem, Aegyptiacorum auctorem, Philadelphi aetate vixisse, ab astrologicorum operum scriptoribus eiusdem nominis accurate distinguendus erit, neque vitia ab his commissa illius auctoritati quidquam nocebunt [1]).

§ 3.

Sed probari posse Manethonem primorum Ptolemaeorum fuisse aequalem, negat Hengstenbergius p. 246, cui assentitur Boeckhius p. 11. 14, uterque nescio quomodo Plutarchi oblitus. Narrat enim ille, de Iside c. 28: Ptolemaeo Lagi filio ignotum deum in somno apparuisse, iubentem, ut suam effigiem quam celerrime Alexandriam arcesseret. Ptolemaeum miraculo excitum, et nescientem ubinam terrarum deus ille coleretur, amicis visum aperuisse, quo facto Sosibium aliquem, qui multas vidisset regiones, regi denuntiasse deum, quem vidisse sibi videretur, Sinope Ponti urbe coli; unde etiam tandem, non sine divina

---

1) Ut Syncellus *Aegyptiaca* et *librum caniculae*, sic Ioannes Antiochenus Malelas *Apotelesmatica* et *Aegyptiaca* confundit. Postquam enim de historia Aegypti multa nugatus est, sic pergit (p. 27. edit. Oxon. 1691). *Ταῦτα δὲ παλαιὰ καὶ ἀρχαῖα βασίλεια τῶν Αἰγυπτίων Μανέθων συνεγράψατο, ἐν οἷς συγγράμμασιν αὐτοῦ ἐμφέρεται ἄλλως λέγεσθαι τὰς ἐπωνυμίας τῶν πέντε πλανητῶν ἀστέρων. Τὸν γὰρ λεγόμενον Κρόνον ἀστέρα ἐκάλουν τὸν Λάμποντα, τὸν δὲ Διὸς τὸν Φαέθοντα, τὸν δὲ Ἄρεος τὸν Πυρόην, τὸν δὲ Ἀφροδίτης τὸν Κάλλιστον, τὸν δὲ Ἑρμοῦ τὸν Στίλβοντα.* Haec nempe stellarum nomina in Manethonis Apotelesmaticis usurpantur. — Eadem habet Chronicon Paschale p. 46. edit. Paris.

providentia et miraculis, dei effigiem Alexandriam translatam; *ἐπεὶ δέ*, pergit Plutarchus, *κομισθεὶς ὤφθη, συμβαλόντες οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέθωνα τὸν Σεβεννύτην Πλούτωνος ὂν ἄγαλμα, τῷ Κερβέρῳ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ δράκοντι, πείθουσι τὸν Πτολεμαῖον, ὡς ἑτέρου θεῶν οὐδενὸς ἀλλὰ Σαράπιδός ἐστιν.* Ex hoc loco statim cognoscimus Manethonem quemdam, ex eadem urbe qua historicus noster ortum, sub primo Ptolemaeo vixisse. Quodsi praeterea locum paulo accuratius spectamus, omnia, quae scire nostra interest, ex hac narratione erui poterunt.

Ptolemaei donec Aegypti imperium tenebant, sed praesertim initio, Graecam suam religionem deorumque cultum cum Aegyptiacis commiscere tentabant, probe intelligentes communem religionem arctissimum diversorum populorum esse vinculum. Prudentiae istiusmodi civilis primum exemplum ea res est, quam l. l. narrat Plutarchus. Sed in primo conatu, qui esse solet difficilior, spectris et miraculis opus erat, et non nisi illustrissimi et summae auctoritatis viri rem adiuvare poterant. Hanc opinionem confirmat Tacitus, qui, Histor. L. IV. c. 83, idem, sed paulo aliter, narrat. Ex illo discimus Timotheum, quem cum Manethone de dei nomine et attributis rex interrogavit, quemque Plutarchus *τὸν ἐξηγητήν* vocat, fuisse Atheniensem e gente Eumolpidarum, ut Antistitem ceremoniarum consulto Eleusine arcessitum [1]). Quare Grae-

---

[1]) Perperam hunc titulum Bunsenius I. p. 502. vertit *interpretem*. *Ἐξηγητής* h. l., quod fugit etiam interpretes, *ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολ-*

cum tantae dignitatis sacerdotem Ptolemaeus in consilium adhibuerit sponte intelligitur. Agebatur de deo Graeco inter Aegypti deos recipiendo, quod ad utriusque populi sacerdotes pertinebat. Sacerdotum Graecorum ordinem Timotheus igitur repraesentabat, et propterea non vulgaris aliquis flamen sed ipse ceremoniarum Eleusiniarum antistes arcessebatur. Ex Aegyptiorum sacerdotum ordine unus Manetho Timotheo adiungebatur, unde quamnam hic dignitatem obtinuerit, satis definitur. Fuit sine dubio *ἀρχιερεύς* [1]), et quia probabile est, omnium sacerdotum principem Timotheo collegam datum fuisse, coniicerem eum *ἀρχιερέα Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου πάσης* habendum esse, simodo mihi persuasisset Letronnius primorum Ptolemaeorum tempore tale munus iam exstitisse.

Letronnii argumentatio haec est, in annot. ad inscript. Rosett. vs. 17: »Sub Hadriano imperatore L. I. Vestinum totius Aegypti *ἀρχιερέα* fuisse constat ex inscriptione. Et quia Romani in administratione a Ptolemaeis instituta fere nihil mutabant, verisimillimum est Ptolemaei Philopatoris iam tempore unum omnibus sacerdotibus praefuisse; quod si ponamus, optime explicatur, cur quotannis legatio ex sacerdotibus

---

πιδῶν est, qualis fuit Medens, quem Pseudo-Plutarchus vit. *X* orator. p. 843 *B* memorat, et Apollonius, cuius mentio fit in inscriptione. Vide Boeckhium, *Corp. Inscript.* I. p. 444.

[1]) In optimis Suidae codd. legitur *Μαναίθως Μένδης* (quod corruptum credo e scribendi compendio vocis *Σεβεννύτης*. — Holstenius, *ad Steph. Bysant. v. Μένδης* corrigit *Μενδύτης*) *τῆς Αἰγύπτου ἀρχιερεύς* sed alii codd. habent *ἱερεὺς Αἰγύπτου*.

»Alexandriam descendere debuerit, quod debuisse »docet eadem inscr. Rosett., nimirum ut apud sum- »mum illum magistratum, qui sedem Alexandriae ha- »bebat, de rerum sacrarum ipsis mandatarum admi- »nistratione responderent." Haec Letronnii coniectura cur mihi non placeat exponam. Epiphanes, ut apparet ex inscr. Rosett., hunc *εἰς Ἀλεξάνδρειαν κατάπλουν* abrogavit et propterea a sacerdotibus laudatur in decreto; sed nunquam Ptolemaeus disciplinae sacerdotalis, libris sacris praescriptae, aliquod institutum violasset, neque, si forte fecisset, sacerdotes eum propterea laudavissent. Verisimilius est solemnem illum *κατάπλουν* ad regem ipsum salutandum spectasse et veterum *πανηγύρεων* fuisse reliquias. Tali onere sacerdotes solvere haud dubie licuit Epiphani, neque mirum si propterea ab iis laudatur. Porro, si Letronnii coniectura vera esset, sine dubio in inscr. Rosett. *ἀρχιερεὺς* totius Aegypti nominatus fuisset, v. c. v. 6. ubi legimus: *οἱ ἀρχιερεῖς καὶ προφῆται, καὶ οἱ εἰς τὸ ἄδυτον εἰςπορευομενοι πρὸς τὸν στολισμὸν τῶν θεῶν, καὶ πτεροφόραι καὶ ἱερογραμματεῖς καὶ οἱ ἄλλοι ἱερεῖς πάντες* ...... *εἶπαν.* Quare contendo vestigium huius dignitatis tempore Ptolemaeorum non inveniri.

Utut hoc est, Manetho saltem sacerdos primae classis erat, et tanti nominis ut eum prae aliis Timothei collegam crearet Ptolemaeus. Fortasse etiam huius rei causa erat, quod Manetho Graece loquebatur. Nam si Josepho [1]) fides, *Μανέθων ἦν τὸ γένος ἀνὴρ Αἰγύ-*

[1]) Contra Apionem I. c. 14. p. 1039. E.

πτιος τῆς Ἑλληνικῆς μετεσχηκὼς παιδείας, ὡς δηλός ἐστι, γέγραφε γὰρ Ἑλλάδι φωνῇ τὴν πάτριον ἱστορίαν, ἐκ τῶν ἱερῶν, ὥς φησιν αὐτὸς, μεταφράσας. Unde, perinde atque e Plutarcho, sequitur Manethonem Aegyptium sacerdotem fuisse; nam nemini nisi sacerdoti *τὰ ἱερὰ γράμματα* legere, nedum vertere licuit. Quo tempore scripserit non docet Josephus, sed e quodam Aegyptiacorum fragmento, per Africanum nobis servato, patet ante Philadelphum, Ptolemaei primi filium, ea scripta esse non posse. Narratur enim ibi Lamarin regem *τὸν ἐν Ἀρσινοΐτῃ λαβύρινθον* sibi sepulcrum aedificasse; Arsinoites vero nomus ante Ptolemaeum Philadelphum, qui in sororis honorem prius nomen mutavit, Crocodilopolites vocabatur, ut tradit Pausanias l. I. c. 7. Verisimile igitur est Manethonem iam sub primo Ptolemaeo floruisse, scripsisse vero iussu Philadelphi; qui, quod fere omnes testantur, undique libros colligebat et eos, qui barbara lingua scripti erant, a doctis interpretibus in Graecam linguam converti iubebat [1]).

Quod igitur supra conieci scriptorem *libri Caniculae* Manethonis nomen, aetatem et dignitatem mentitum esse, antecedentibus confirmatum est; quare fortasse a vero non aberrabimus, si ea, de quibus meliores fontes silent, e Pseudo-Manethonis testimonio conficimus: non constat in qua urbe aut cuius numi-

---

[1]) Cf. Scholion Plautinum a Ritschelio editum, et illustratum in libello, cui titulus: *Die Alexandrinische Bibliotheken unter den ersten Ptolemäern. Breslau* 1838.

nis Manetho fuerit sacerdos, sed Pseudo-Manetho se vocat genere Sebennytam, Heliopolitanum [1]), ex quo concludi posse videtur nostrum historicum ex urbe Sebennyta oriundum, Heliopoli Osiridis fuisse *ἀρχιερέα*.

Operae pretium erit in nominis quoque rectam scripturam et significationem inquirere, de quibus non conveniunt viri docti. Scribunt Africanus et Eusebius apud Syncellum *Μανεθῶ;* Plutarchus in libello de Iside et Osiride, et Eusebius in Praepar. Euangel. *Μανέθως;* Iosephus aliique *Μανέθων;* Aelianus et Suidas *Μαναίθως* (*E* in *AI* corrumpere solent librarii); et Syncellus passim *Μανεθῶθ* (*Θ* vitiose pro *C* i. e. *Σ* saepe habent codd.). Vera lectio Bernhardo ad Iosephi Archaeol. Iudaic. l. I. c. 3. § 9. videtur *Μανέθων;* Dindorfio ad Syncell. p. 77. *Μανεθῶθ* aut *Μανεθῶ*; Bunsenio I. p. 91. *Μανεθῶ*, quem scribendi modum ego quoque praefero: nam, praeterquam quod Africani auctoritate commendatur, proxime ad Aegyptiacam pronunciationem accedere videtur. Minime enim assentior Bunsenio statuenti I. p. 91. nomen compositum esse *Ma-n-Thoth*, quod significet: *a deo Thoth datum*, et Aegyptiace sonasset *Thoth-maïs.* Cur vero, quaeso, si nomen pronunciaretur Thothmaïs, Graece redditum fuisset Manetho, aut potius Manethoth? — Equidem arbitror *Μανεθῶ* Graecam formam esse Ae-

---

1) Suidas: *Μανέθως Διοσπόλεως τῆς Αἰγύπτου, ἢ Σεβεννύτης;* pro *Διοσπόλεως* legendum puto *Ἡλιουπόλεως.* Nomina urbium Aegyptiacarum saepe confunduntur; sic apud Porphyrium in fragmento theologici libri Manethonis legitur *ἐν Ἡλίου πόλει*, pro quo ex eodem Manethone Plutarchus *ἐν Εἰληθυίας πόλει* habet.

gyptiaci *Ma-net*, sive *Ma-Neith*, i. e. *qui Neith deam amat*, nomen posteriori tempore haud inusitatum et ipsius Psammetichi cognomen. Cf. Champollio, Lexic. Hieroglyph. p. 262.

Duos Manethones distinguit Suidas, sed perperam sine dubio; fortasse quoniam alicubi legerat *Μαναίθως Μένδης*, corruptam lectionem pro *Μανέθως Σεβεννύτης*. Praeter nostrum Manethonem, et auctorem librorum astrologicorum, tertium eiusdem nominis memorat Cedrenus p. 246 (edit. Paris. 1647. fol.) *Τί ἂν τις εἴποι περὶ τῶν κατὰ Μανέθωνα μαγικῶν ἔργων· ὃς τοιοῦτος ἄκρος γέγονε τῇ μαγικῇ ἀπάτῃ, ὥστε ἀεὶ ἔσκωπτε προδήλως τὸν Ἀπολλώνιον ὡς μὴ ἀκριβῆ τὴν κατ' αὐτοὺς φιλοσοφικὴν ἐμπειρίαν ἐσχηκότα.* De quo hariolatore nihil praeterea invenire potui.

§ 4.

Ἀρχιερεύς Aegyptius, primorum Ptolemaeorum aequalis, Graecas literas doctus, profecto omnium optime historiam patriae conscribere potuit. Materies illi ampla, perspicua et fide dignissima ad manum erat: chronographiae, toichographiae, annales, carmina historica, libri sacri sive Hermetici; praeterea tabulae pictae hieroglyphis luculenter explicatae, innumerabiles denique inscriptiones. Quae omnia adire nemo nisi Aegyptius sacerdos poterat; disponere autem recte et diiudicare, atque perpetuam ex iis historiam componere Graecus solus valebat, aut qui Graecorum histo-

rica arte esset imbutus. Neque unquam magis, quam primorum Ptolemaeorum aevo, floruerunt apud Graecos chronologia et ratio historiae cum iudicio ad veritatem exigendae. Paucis ante Manethonem annis Aristoteles viam aperuerat, qua omnis antiquitas diligenter et accurate investigaretur; Timaeus e chronologicis Graecarum civitatum ἀναγραφαῖς tempora disponere conatus erat; et paulo post floruit Aristarchus, qui κριτικώτατον Thucydidem passim iure reprehendit, quod parum critice Homero usus sit. Quod autem ad scribendi rationem: optima illi exempla ante oculos erant Herodotus, Thucydides, alii. Quibus auxiliis Manethonem recte usum esse testantur fragmenta quae supersunt. Scripta sunt antiquo simplici stylo, auctorem produnt sacrae et vulgaris Aegyptiorum linguae et scripturae peritum, circumspecte, quae studiose investigasset, utentem, et antiquitatis colorem et ingenium pulchre observantem. Magni igitur ab ipsis veteribus aestimabatur. Ante omnes eo utuntur Iosephus et Plutarchus, quoties res Aegyptiacas tangunt; chronographus Africanus eum, non alium Aegypti historicum excerpit, Eusebius in eo inprimis historiam Aegypti quaerendam censet; Syncellus τὸν παρ' Αἰγυπτίοις ἐπισημότατον Μανεθῶ appellat, denique Aelianus σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα. Neque aliam ob causam posteriori aevo sub illius nomine astrologici libri edebantur. Si porro de fide quaerimus, Iosephus testatur Manethonem, quae ex annalibus hauserat, ab iis distinxisse quae acceperat e mythicis traditionibus; fontes, quibus, teste Iosepho, se usum esse

profitetur, revera tunc temporis exstitisse constat, et, quae supersunt, ea cum antiquis monumentis egregie conveniunt. Quare plane assentior Engelstoftio de Manethone ita iudicanti[1]: »simplex et veritatem prae »se ferens narrandi ratio, a studio et ira aeque aliena, »ex paucis quae supersunt fragmentis apparet; religiosa »distinctio eorum quae famae debentur a certis; pia »rerum consideratio, qualis in sacerdote exspectanda »est, et aliquis insignis amor sacrorum, fidei eius »adstruunt."

Neque iure Manethonis fides propterea ab Hengstenbergio p. 255 suspecta habetur, quod Aegyptum et Danaum, mythicos Graecorum heroes, tanquam Aegypti reges commemorat. Animadvertendum enim est ipsa Manethonis verba, quibus illud traditur, non descripta ab Iosepho sed tantum excerpta esse: *ἡ δὲ χώρα*, inquit, *ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος Αἴγυπτος· λέγει γὰρ* (Manetho) *ὅτι ὁ μὲν Σέθωσις ἐκαλεῖτο Αἴγυπτος, Ἀρμαῒς δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δαναός.* Prima opinio, a nomine regis regionem nominatam esse, non Manethonis sed Iosephi est; quae sequuntur coniecit Manetho, sed nusquam in annalibus confirmata invenit. Eum vero haec tanquam certa et e monumentis hausta tradidisse nullo modo affirmari potest; quod si fecisset, malae fidei esset convictus. Ut res nunc se habet, nihil ex hoc loco colligi potest, nisi con-

---

1) Engelstoft, *Historia populi Iudaici biblica, usque ad occupationem Palaestinae, ad relationes peregrinorum examinata.* Hafniae 1832. p. 32.

L. XXII. c. 15, quod codicum lectioni adversatur et difficultatem non amovet. Iudaica et Aegyptiaca hic permixta sunt.

ἱερᾷ διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι] Recte, ut equidem arbitror, Boeckhius *ἱερογραφικοῖς* in *ἱερογλυφικοῖς*, et paulo infra *ἱερογλυφικοῖς* in *ἱερογραφικοῖς* mutat. Inepta tautologia tamen manet: *ἱερὰ διάλεκτος* enim, lingua antiqua, monumentis unice destinata est, et *ἱερογλυφικὰ γράμματα* non nisi sacrae dialecti vocabula exprimunt.

ὑπὸ Θῶθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ] Distinguuntur h. l. duo Mercurii, quod recentiorem aetatem arguit. cf. Zoega, de obeliscis p. 881. Praeterea genealogia, quae hic docetur, nusquam alibi invenitur: *Agathodaemon* i. e. *Knef* [1]), *θεὸς ἀγέννητος* [2]), patrem habet secundum Mercurium, et filium *Tat*, de quo deo Hermeticis libris proprio, vide Heerenium ad Stobaeum IV. p. 200.

εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν, γράμμασι ἱερογραφικοῖς] Inscriptiones sacra dialecto, literis hieroglyphicis compositas Agathodaemon in Graecam linguam convertit et hierographicis literis descripsit. Absurda haec esse nemo non videt; ingeniose Zoega coniecit in *Caniculae libro εἰς τὴν κοινὴν φωνήν*, i. e. *εἰς τὴν δημοτικήν* scriptum fuisse, quod male intelligens Syncellus in *Ἑλληνίδα* corrupisset. Sed hac mutatione non multum proficimus, nam demotica lingua demoticis literis, nunquam hierographicis exprimitur. Auctor

---

1) Cf. Champollionis *Enchirid. system. Hieroglyph.* p. 145. 2ae edit.
2) Plutarchus, *de Iside et Osiride* c. 21.

profitetur, revera tunc temporis exstitisse constat, et, quae supersunt, ea cum antiquis monumentis egregie conveniunt. Quare plane assentior Engelstoftio de Manethone ita iudicanti[1]: »simplex et veritatem prae »se ferens narrandi ratio, a studio et ira aeque aliena, »ex paucis quae supersunt fragmentis apparet; religiosa »distinctio eorum quae famae debentur a certis; pia »rerum consideratio, qualis in sacerdote exspectanda »est, et aliquis insignis amor sacrorum, fidei eius »adstruunt."

Neque iure Manethonis fides propterea ab Hengstenbergio p. 255 suspecta habetur, quod Aegyptum et Danaum, mythicos Graecorum heroes, tanquam Aegypti reges commemorat. Animadvertendum enim est ipsa Manethonis verba, quibus illud traditur, non descripta ab Iosepho sed tantum excerpta esse: *ἡ δὲ χώρα*, inquit, *ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος Αἴγυπτος· λέγει γὰρ* (Manetho) *ὅτι ὁ μὲν Σέθωσις ἐκαλεῖτο Αἴγυπτος*, *Ἀρμαῖς δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δαναός*. Prima opinio, a nomine regis regionem nominatam esse, non Manethonis sed Iosephi est; quae sequuntur coniecit Manetho, sed nusquam in annalibus confirmata invenit. Eum vero haec tanquam certa et e monumentis hausta tradidisse nullo modo affirmari potest; quod si fecisset, malae fidei esset convictus. Ut res nunc se habet, nihil ex hoc loco colligi potest, nisi con-

---

[1]) Engelstoft, *Historia populi Iudaici biblica, usque ad occupationem Palaestinae, ad relationes peregrinorum examinata.* Hafniae 1832. p. 32.

L. XXII. c. 15, quod codicum lectioni adversatur et difficultatem non amovet. Iudaica et Aegyptiaca hic permixta sunt.

ἱερᾷ διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι] Recte, ut equidem arbitror, Boeckhius *ἱερογραφικοῖς* in *ἱερογλυφικοῖς*, et paulo infra *ἱερογλυφικοῖς* in *ἱερογραφικοῖς* mutat. Inepta tautologia tamen manet: *ἱερὰ διάλεκτος* enim, lingua antiqua, monumentis unice destinata est, et *ἱερογλυφικὰ γράμματα* non nisi sacrae dialecti vocabula exprimunt.

ὑπὸ Θὼθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ] Distinguuntur h. l. duo Mercurii, quod recentiorem aetatem arguit. cf. Zoega, de obeliscis p. 881. Praeterea genealogia, quae hic docetur, nusquam alibi invenitur: *Agathodaemon* i. e. *Knef* [1]), *θεὸς ἀγέννητος* [2]), patrem habet secundum Mercurium, et filium *Tat*, de quo deo Hermeticis libris proprio, vide Heerenium ad Stobaeum IV. p. 200.

εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν, γράμμασι ἱερογραφικοῖς] Inscriptiones sacra dialecto, literis hieroglyphicis compositas Agathodaemon in Graecam linguam convertit et hierographicis literis descripsit. Absurda haec esse nemo non videt; ingeniose Zoega coniecit in *Caniculae libro εἰς τὴν κοινὴν φωνήν*, i. e. *εἰς τὴν δημοτικήν* scriptum fuisse, quod male intelligens Syncellus in *Ἑλληνίδα* corrupisset. Sed hac mutatione non multum proficimus, nam demotica lingua demoticis literis, nunquam hierographicis exprimitur. Auctor

---

1) Cf. Champollionis *Enchirid. system. Hieroglyph.* p. 145. 2ae edit.
2) Plutarchus, *de Iside et Osiride* c. 21.

2

libri τ. Σ. hierographica et hieroglyphica confundit, eaque signa symbolica esse, unicuique linguae aeque convenientia, putat.

ἀποτεθέντων] Vitiosa constructio. Scaliger in Graecis Eusebii p. 6. corrigit ἀποτεθεισῶν.

Σεβαστῷ] Σεβαστός, Augustus, cognomen vel potius titulus Romanorum imperatorum, sed nullius unquam Ptolemaei fuit. Quare Scaliger hoc vocabulum uncis inclusit, ipsius scriptoris, non librarii mendum corrigens. Si auctor revera Philadelphi fuisset aequalis, scripsisset Πτολεμαίῳ θεῷ Φιλαδέλφῳ, ut Boeckhius monet.

ἀρχιερεὺς καὶ γραμματεὺς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων] Γραμματεὺς τ. κ. Α. ἱ. ἀ. nusquam alibi memoratur; scriptor voluisse videtur ἱερογραμματέα; vidimus iam supra eum putare libros Mercurii in Aegypti adytis servari, quare, ut his libris usus esse facilius credatur, se horum adytorum notarium fingit. Eundem se vocat ἀρχιερέα, sed nemo ἀρχιερεύς et ἱερογραμματεύς simul esse potest, nam hic quintae, ille primae classis sacerdos est.

δεσπότῃ Πτολεμαίῳ] Ptolemaei *domini* nunquam dicuntur.

ἐάν] ἐάν pro ἄν non nisi posteriori aevo usitatum est. Correxit Boeckhius ἄν.

τρισμέγιστος Ἑρμῆς] Thoth in inscriptionibus hieroglyphicis *ter magnus* saepius vocatur, et in Inscr. Rosett. μέγας καὶ μέγας, quod μέγιστος recte explicabis; τρισμέγιστος Thoth non ante saeculum tertium dicitur. Ex hoc indicio iam Letronnius epistolam tertio aevo scriptam esse conclusit.

Platonis: neque illud quisquam adhuc in dubium vocavit. Equidem contra in Manethonis opere eiusmodi distinctionem omnino non usurpatam fuisse puto. Argumenta, quibus moveor, haec sunt. Primo tenendum est neque Eusebii, neque Syncelli, neque scholiastae Platonis auctoritatem hac in re valere, quoniam, ut infra demonstrare conabor, horum nemo Manethonem in manibus habuit, sed tantum cognovit e compendiis. Unius Africani, qui ipsis Aegyptiacis usus est, testimonium aliquid probaret, sed ne hic quidem hanc divisionem ab ipso Manethone profectam esse testatur, ita ut, si Aegyptiaca non nisi ex illo novissemus, dubium semper maneret utrum dynastiarum auctor Manetho fuerit, an chronographus aliquis, quo facilius temporum seriem exponeret. Sed opportune Iosephus e libro secundo duo fragmenta servavit, in quibus distributionis in dynastias ne vestigium quidem invenitur. In secundo libro Africanus tres enumerat pastorum dynastias, quarum prima per 284, secunda per 518, tertia per 153 (si numerus recte se habet) annos regnasse traditur. Iosephus contra pro tribus unam tantum regum seriem e Manethone refert. Nam postquam sex pastorum reges, qui prima Africani dynastia continentur, et quorum regnum 260 annos duraverit, enumeravit, tradit hos et eorum progeniem, *τοὺς ἐξ αὐτῶν γενομένους*, Aegyptum obtinuisse annos 511. Cur autem Manetho hos eiusdem familiae reges in duas divisisset dynastias, intelligi nullo modo potest. Quam facile contra Africanus, si totam in dynastias divisionem ab illo profectam esse

ponamus, eo pervenire potuerit ut pastorum reges in ipsas has tres dynastias distingueret, in annotatione explicabo. Imo si Manetho, ut ex Africani compendio forte credas, eorum, qui Aegypto praefuerunt, continuam seriem exponere voluisset, certe in iis pastorum duces non enumerasset; nam sacerdotes in annalibus, e quibus solis Manetho talem catalogum haurire potuisset, nunquam fassi essent, pastorum captivorum duces legitimos olim Aegypti, sacrae regionis, reges fuisse; praesertim quum iuxta istorum dominationem, in Thebaide, Pharaonum e nobili stirpe imperium continuaverit. Neque pastores *βασιλεῦσαι* sed *κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου* Manetho apud Iosephum dicit. Sic etiam antea sacerdotes Herodoto (l. II. c. 100) narraverant, praeter indigenas reges, et Aethiopes Aegyptum obtinuisse; de regibus vero e pastorum gente ne verbum quidem addiderant; et Diodorus Siculus (l. I. c. 44) a sacerdote aliquo acceperat, plurimos in Aegypto regnasse indigenas, paucos Aethiopes, Persas et Macedones, sed de pastorum regno nihil audiverat. Haec, spero, argumenta satis demonstrabunt Africanum hac in re Iosepho postponendum esse.

Idem valet de regibus, quos Africani XVIII^a^ et XIX^a^ dynastiae complectuntur. Iosephus qui eosdem commemorat, de divisione in dynastias nihil habet, neque probabilis causa excogitari potest cur Manetho illos ita distinxisset; nam ex una eademque familia omnes fuisse constat.

Quare porro Ammenemen, XII^ae^ dynastiae primi

regis patrem, nulli dynastiae annumerasset, quem omnia antiqua monumenta et *ἀναγραφή* Taurinensis, cum regibus XII[ae] dynastiae arctissime coniunctum exhibent [1])? Praeterea summae impietatis fuisset, si Aegyptius sacerdos Amasin, novum hominem, cum Aprie, quem ille occiderat, in unam retulisset dynastiam [2]).

Plura quae intelligi nequeunt, nisi statuamus Africanum, ut conspectum temporum redderet faciliorem, Aegyptiaca in dynastias divisisse, in annotatione exponam [3]).

§ 6.

Quum Aegyptiacorum pretium e fontibus, quibus auctor usus sit, magnam partem pendeat, eos attente nunc indagemus. Primum de iis audiamus Iosephum: *γέγραφε*, inquit, *Ἑλλάδι φωνῇ τὴν πάτριον ἱστορίαν*,

---

1) Hunc regem a XII[a] dynastia Africani negligentia deiunctum esse statuit Bunsenius II. p. 244, quod fieri tamen non potuisset, si reges in dynastias ipse Manetho coniunxisset.

2) Hanc ob rem, ut mihi videtur, Schoell, *Hist. Graec. liter.* II. p. 128. affirmat dynastiam apud Manethonem significare non seriem regum eiusdem familiae, sed eorum qui in eadem Aegypti urbe regnaverint. Quomodo autem, vocem ita definiens, explicet quod Diospolitarum et Memphitarum duae sequentes dynastiae exhibeantur, non intelligo.

3) In *ἀναγραφῇ* Taurinensi Pharaones in familias distributi sunt, quod vulgari de Manethonis dynastiis opinioni favere videtur. Sed, quod Bunsenius quoque III. p. 92 observat, multo plures ibi quam in Africani compendio dynastiae exhibentur. Utut hoc se habet, e fragmentis, non ex antiqua chronographia, Manethonis Aegyptiaca restituenda sunt.

ἐκ τῶν ἱερῶν, ὥς φησιν αὐτὸς, μεταφράσας; et alio loco: *ὁ γὰρ Μανέθων οὗτος, ὁ τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μεθερμηνεύειν ὑπεσχημένος κτέ. Τὰ ἱερὰ γράμματα* omnes libri sacri sunt, sive potius libri hieratice scripti, non historici solum sed alius etiam argumenti. Eos *μεθερμηνεύειν*, *vertere*, se profitetur Manetho, quod tamen non nimis urgendum est; nihil his verbis significat nisi se omnem materiam, ex qua construxerit patriae historiam, sacris libris debere. Eum porro non Aegyptiacum narrandi colorem reddidisse, sed Graeca exemplaria in narrando imitatum, pauca, quae supersunt, fragmenta docent.

E libris sacris praecipuus Aegyptiacorum fons fuerunt *ἀναγραφαί*, ut idem testatur Iosephus: *μεχρὶ μὲν τούτων ἠκολούθησε ταῖς ἀναγραφαῖς. Ἀναγραφή* vocatur certum historicorum operum apud Aegyptios genus, cuius argumentum et indoles ex ipso nomine magnam partem facile intelligitur. *Ἀναγράφειν* significat *inscribere; ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ* apud Thucydidem l. V. c. 47 invenitur, et *ἀναγράψαι ἐπὶ στήλην* in inscr. Rosett. v. 53; deinde *perscribere*, *in acta referre;* cf. Peyron ad Papyr. Taurin. I. p. 153 tandem *scripto mandare.* Hinc deducta vox *ἀναγραφή* *perscriptio* est, *commentarius*, in primis *tabula genealogica*, et *nominum series chronologica.* Eiusmodi *ἀναγραφάς*, praecipuorum magistratuum aut sacerdotum nomina ordine exponentes, in plerisque Graeciae civitatibus olim exstitisse iam supra monui. Unde verisimile est Aegyptiorum quoque *ἀναγραφάς* fuisse alba, in quibus nomina regum ordine chrono-

logico inscriberentur. Cuiusmodi album Plutarchus, de Iside et Osiride c. 11, vocat *κατάλογον τῶν βασιλέων;* nec quidquam aliud fuit *βύβλος*, ex qua regum Aegyptiorum nomina sacerdotes Herodoto recitaverunt. Ad idem genus pertinet *ἀναγραφή* Taurinensis, quam iam saepius laudavi. Exstiterunt etiam *ἀναγραφαί* in quibus regum nominibus brevis annotatio erat adscripta, quarum accuratam descriptionem Diodoro Siculo debemus. *Περὶ ἁπάντων* (*βασιλέων*), narrat ille l. I. c. 44, *οἱ μὲν ἱερεῖς εἶχον ἀναγραφὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἐκ παλαιῶν χρόνων ἀεὶ τοῖς διαδόχοις παραδεδομένας, ὁ πηλίκος ἕκαστος τῶν βασιλευσάντων ἐγένετο τῷ μεγέθει, καὶ ὁποῖός τις τῇ φύσει* [1]), *καὶ τὰ κατὰ τοὺς ἰδίους χρόνους ἑκάστῳ πραχθέντα.* Eiusmodi *ἀναγραφῇ* usum esse Manethonem fragmenta produnt. Ad Nitocrin enim, sextae dynastiae ultimam reginam, apud Africanum haec annotata leguntur: *γεννικωτάτη καὶ εὐμορφοτάτη τῶν κατ᾽ αὐτὴν γενομένη, ξανθὴ τὴν χροίαν.* Ex eodem fonte manavit observatio regi octavo secundae dynastiae adscripta, *ὃς ὕψος εἶχε πηχῶν ε΄ παλαιστῶν γ΄.* — *Ἀναγραφὰς* istas Diodorus passim *ἱερὰς* sive *ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις* vocat, unde quaestio oritur, utrum ad libros sacros pertinuerint nec ne. Negat Bunsenius I. p. 50. afferens Psammetichi aetate sacros libros sine dubio fuisse

---

[1]) Perperam Bunsenius I. p. 27. *φύσιν indolem* interpretatur. Significat h. l. *corporis habitum*, ut in Sophoclis Oedip. Tyrann. v. 740:

τὸν δὲ Λάϊον φύσιν
τίν᾽ εἶχε φράζε, τίνα δ᾽ ἀκμὴν ἥβης τότε.

Rarior tamen haec significatio est.

clausos, quum contra ἀναγραφαί, donec Pharaonum imperium stabat, semper continuabantur. Sed confundit ille sacros libros cum Hermeticis, inter quos vero aliquantum interest. Nam sacri libri omnes vocantur qui sacra dialecto conscripti sunt, et hactenus recte inter eos ἀναγραφαί, hieraticis signis exaratae, enumerari possunt.

Ut ἀναγραφαί sic ipsum historicum Manethonis opus ἱερὰ βίβλος ab Eusebio, Praep. Euang. prooem. ad l. II. dicitur: *Πᾶσαν μὲν οὖν τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν εἰς πλάτος τῆς Ἑλλήνων μετείληφε φωνῆς, ἰδίως τε καὶ τα περὶ τῆς κατ᾽ αὐτοὺς θεολογίας Μανεθὼς ὁ Αἰγύπτιος, ἔν τε ᾗ ἔγραψεν ἱερᾷ βίβλῳ καὶ ἐν ἑτέροις αὑτοῦ συγγράμμασιν.* Male Fabricius, Biblioth. Graec. vol. III. p. 496, Schoell, histor. Graec. liter., Bunsenius I. p. 93 et alii statuunt τὴν ἱερὰν βίβλον egisse περὶ τῆς Αἰγυπτιακῆς θεολογίας, quod sententiae nexu refutatur, et nullo idoneo argumento nititur; neque porro Eusebius *Aegyptiaca*, quae bene noverat, silentio praeteriisset aut ἕτερον σύγγραμμα appellasset; denique libri theologici titulus non fuit ἱερὰ βίβλος, ut infra ostendam. Attamen non accurate Eusebius *Aegyptiaca* sic vocat.

Et quia ἀναγραφαί praecipuus fons Aegyptiacorum fuit, ipsa Manethonis *Aegyptiaca* ἀναγραφὴν vocat Iosephus, Archaeol. Iudaic. I. c. 3. § 9, ubi Manetho laudatur ὁ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενος ἀναγραφήν.

Operae pretium erit h. l. obiter monere Diodorum Siculum non solum annales Aegyptiorum, sed omnes interdum sacros libros appellare ἀναγραφάς. Quod

quum interpretes non intelligerent, mira inde confusio orta est. Sic v. c. ἀναγραφάς, e quibus hausisse se gloriatur Diodorus l. I. p. 69, Heerenius, Aegypt. p. 210, annales esse putat, quae tamen nihil aliud sunt nisi Hermetici libri. Nam quae ex istis ἀναγραφαῖς statim profert desumta sunt e secundo τοῦ ᾠδοῦ libro, ἐκλογισμὸν βασιλικοῦ βίου continenti; cf. Clemens Alexandr. Strom. VI. p. 268, quod nescio quomodo Bunsenium latuerit, de libris Mercurii I. p. 35 sq. disputantem. Sic etiam l. I. c. 31, — ubi narrat: ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων (ἡ Αἴγυπτος) ἔσχε κώμας ἀξιολόγους καὶ πόλεις πλείους τῶν μυρίων καὶ ὀκτακισχιλίων, ὡς ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγραφαῖς ὁρᾶν ἐστι κατακεχωρισμένον; — ἀναγραφαί est liber hierogrammateos, χωρογραφία τῆς Αἰγύπτου inscriptus. Pluribus exemplis non opus est: sufficiat animadvertisse in Diodori bibliothecae libro primo multa adhuc librorum XLII Hermeticorum fragmenta, quae ex ore sacerdotum acceperat, latere.

Alius fons, cuius mentionem idem Iosephus facit, erant ἀδεσπότως μυθολογούμενα, quae Manetho, ut iam supra vidimus, diligenter a certis annalium traditionibus distinguebat. Difficilius est quaenam haec fuerint accurate definire. Bunsenius I. p. 100 mythos in ore populi viventes et carmina [1]) intelligit. Sed apud Aegyptios huiusmodi mythi exstare vix potuerunt,

---

[1]) *Volkssagen und Lieder.* Alio loco I. p. 134 ea sic describit: *Chronikenartige Behandlungen der älteren Geschichte, worin Volkssagen und unverbürgte Nachrichten neben Annalistischem verzeichnet waren.* Cuiusmodi compositio literaria nunquam in Aegypto exstitit, neque a Iosepho laudatur.

quia omnis historica traditio penes sacerdotes erat, et populi ingenium universe ab ornatu poetico componendisque imaginibus erat alienissimum; accedit quod omnes, solis sacerdotibus exceptis, quamquam artium haud imperiti, animi vero cultum turpiter negligebant [1]). Quapropter fere nulla traditio popularis nobis servata est, quamquam de Aegyptiaca antiquitate sexcenti Graeci scripserunt [2]). Porro, si concedamus suos historicos mythos olim Aegyptios habuisse, non ad Manethonem saltem pervenissent, quia nunquam iis scriptor (i. e. aliquis qui scribit ut a populo legatur) exstitit, qui traditiones scripto mandaret; quales nisi Graecia habuisset, mythologia magnam partem sine dubio interiisset.

Quare credo Manethonem Graecae antiquitatis haud ignarum, nec tamen satis peritum, minus apte Graecam rem Aegypto tribuisse, ac propterea *μυθολογούμενα* h. l. aliud quid ac apud Graecos significari. Ni fallor, *ἀδεσπότους μύθους* Manetho appellavit omnia scripta, publica auctoritate sacerdotum carentia; qualia praesertim fuerunt hymni in regum honorem com-

---

1) Optime Muellerus, *Etrusc.* I. p. 4. *Nicht jedem Volke ist es gegeben Glauben und Wirklichkeit in einer Sagengeschichte zu einem poëtischen Ganzen zu verschmelzen.* Causae, quae impediebant, quominus apud Romanos heroïca mythologia exstaret, eaedem et maiores obstabant Aegyptiis.

2) Omnes prope mythi de regibus Aegypti, ab Herodoto et Diodoro relati, e Graecia ipsa in Aegyptum migraverunt. Cff. Muellerus *Orchomen.* p. 87 sq. et Kanne, *Mytholog. Graec.* p. LXVII. Traditio de pastore Philitide, apud Herodot. II. c. 128, sola mythus iure dici potest.

positi, quos citat Diodorus l. I. c. 53, ubi narrat de Sesostride sacerdotes et τοὺς διὰ τῆς ᾠδῆς αὐτὸν ἐγκωμιάζοντας non inter se convenire. Quamvis e Diodori verbis sequi videtur has odas non a sacerdotibus compositas fuisse, sed populares atque ideo vulgari dialecto et demoticis literis scriptas, tamen hoc non ita fuit. Odae in laudem regum sacra lingua canebantur, et hieratice scribebantur; continebant narrationem universe veram rerum ab heroë gestarum, sed forma dramatica, ubi dii cum rege, et rex cum militibus loquentes inducebantur: heroïci carminis denique imperfecta species erant. Eiusmodi oda, in honorem Ramesis Magni, ad nos pervenit; servatur hodie in Museo Britannico et edita est a Samuele Birch, Musei praefecto [1]).

Talia carmina mythos recte appellare Manetho potuit, praesertim quum, teste Diodoro, passim cum iis quae sacerdotes ex ἀναγραφαῖς tradiderint, non consentirent. Quae vero tanquam ἀδεσπότως μυθολογούμενα apud Iosephum affert, partim e genuino heroïco carmine derivata videntur, partim e recentiorum sacerdotum huius carminis explicatione, ex qua impia gens in ea memorata Iudaeorum populus fuerit. Utrum de plurium regum rebus gestis, an in paucorum tantum clarissimorum laudem, heroïca carmina

---

[1]) In opere quod inscribitur: *The historical papyri of the British Museum.* London 1841-1842. Cff. Champollio, *Epistol. ex Aegypto script.* p. 425 sq. Salvolini, *Campagne de Rhamses le Grand.* Paris 1835. Bunsen. I. p. 60.

exstiterint decerni nequit; posterius tamen verisimilius est.

Tertium Aegyptiacorum fontem Iosephus non commemorat. Sed tamen vix potest dubitari quin Manetho, in conscribenda historia, XLII Hermeticis libris quoque usus sit. Quamquam enim, qui eum omnia templorum arcana esse perscrutatum, et ubique in toichographias ceteraque monumenta inquisivisse statuant, nimiam diligentiam illi tribuere mihi videantur, tamen verisimile est, eorum, quae ad manum habuerit, eum nihil temere neglexisse. Et Mercurii libros illi notos fuisse certo scimus; nam in alio quodam opere eos partim Graece transtulit. Quare persuasum mihi habeo, quae historiae utilia in iis invenerat, in *Aegyptiacis* eum exposuisse. Quod confirmant nonnullae annotationes regum nominibus appositae, quae non nisi ex Hermeticis libris haustae esse possunt. Ad hunc numerum pertinent quae primo regi tertiae dynastiae adscripta sunt: *ἐφ' οὗ Λίβυες ἀπέστησαν Αἰγυπτίων, καὶ, τῆς σελήνης παρὰ λόγον αὐξηθείσης, διὰ δέος ἑαυτοὺς παρέδοσαν.* Nullus enim dubito quin Manetho e libro Hermetico *περὶ τῶν συνόδων καὶ φωτισμῶν ἡλίου καὶ σελήνης* haec acceperit. Eodem modo commentarii pontificum apud Romanos historiae fons non contemnendus fuerunt, nam ad illustranda iuris principia, in illis interdum exempla ex historia afferebantur. Sic iudicii perduellionis exemplum erat, quomodo Horatius sororem occiderit. Cf. Niebuhrius, in libro nuper a doctissimo Islero edito, de historia Romana, p. 10.

Praeter sacros Aegyptiorum libros Manetho, teste Iosepho, Herodotum etiam perlegerat, quem passim reprehendebat, quasi de rebus Aegyptiacis, propter ignorantiam, mentitum. Verisimile est eum non modo Herodotum, sed alios quoque *λογογράφους* et historicos, qui Aegypti historiam attigerant, inspexisse, quamquam nemo veterum hoc nobis affirmat. Sed Graeci eam materiam non attulerant, ex qua Aegyptius, cui paterent ipsa avorum monumenta, multum proficere potuisse videatur. Asiaticorum quoque populorum historiae haud ignarum Manetho se praestat in fragmentis a Iosepho servatis. Narrat enim quo tempore pastores Aegypto potiti sunt, Asiae imperium tenuisse Assyrios, quod unde acceperit non constat. Certe non e sacris Aegyptiorum literis, quibus mos erat de peregrinis, quibuscum commercium non haberent, omnino tacere. Neque ex Herodoto; nam ex huius chronologia Assyriorum imperium ab anno 1231 (1267 secundum Larcherum) a. C. N. incipit, et e Manethonis expositione pastorum dominatio multis saeculis prior est. Equidem coniicio eum ante oculos habuisse Berosi Chaldaïca, in iisque traditum invenisse quod de Assyriorum dominatione refert. Scripsit Chaldaïcorum tria volumina Berosus (si fides Iubae et Alexandro Polyhistori, quorum testimonium plures ecclesiastici descripserunt), regnante Antiocho I Sotere [1]) fonti-

---

[1]) Richterus, Berosi fragmentorum editor, eum sub Antiocho II *Θεῷ* scripsisse censet, secutus Eusebii testimonium, *Praep. Euangel.* X. 11. Sed quia constat Eusebium non vidisse Berosi opera, sed

bus usus *ταῖς ἀναγραφαῖς*, quae Babylone servabantur. Paulo igitur post Berosum scripsit Manetho, quod idem a Syncello p. 16 D. traditur, et quum Philadelphus undique diligentissime libros colligere amaret, mirum ni Manetho, iussu regis scribens, Berosi Chaldaïca cognoverit.

Gravior quaestio est utrum Graecam Pentateuchi versionem legerit Manetho nec ne. Negari nequit in altero fragmento apud Iosephum cognosci Manethonem tamquam aliquos Iudaeorum ritus et traditiones doctum; et quo tempore Aegyptiaca scripta sunt Pentateuchus sine dubio iam Graece versus fuerat [1]; attamen dubito num, quae de Iudaeorum moribus et opinionibus tradit, e limpido fonte, i. e. e sacris ipsorum libris, hauserit, multoque verisimilius arbitror eum tantum referre, quae ab Aegyptiis, adversus Iudaeos semper maledicis, narrabantur et pro veris vulgo habebantur. Nam si revera Pentateuchum ad manum habuisset, non neglexisset, credo, suae de Mose Helio-

---

Tatianum de illo referentem descripsisse, non tantum illi tribuendum esse mihi videtur. Opinor eum aliud agentem pro *Ἀντιόχῳ τῷ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τρίτῳ* apud Tatianum raptim legisse *Ἀ. τῷ μετὰ Σέλευκον τρ.* Nisi enim Eusebium Tatiano hac in re postponamus, intelligi non potest, quomodo Berosus se Alexandri aequalem vocare potuerit, quod tamen fecisse eum ipse Eusebius *Chronic.* I. 2. (vers. Armen.) testatur.

[1]) Irenaeus apud Euseb. *H. E.* V. 8. et Clem. Alexandr. *Strom.* I. I. p. 341, Pentateuchum Ptolemaei Lagi aetate Graece redditum esse narrant. His fidens et vulgaris fabulae tenax Hodius, *de biblior. textibus Original.* p. 91 sq. versionem factam esse ponit, dum Ptolemaeus Lagi et Philadelphus communiter regnabant.

politano sacerdote narrationi maiorem fidem e variis Mosaïcorum librorum locis conciliare, ubi ritus et caerimoniae describuntur, quae Iudaei haud dubie ab Aegyptiorum sacerdotibus mutuati sunt [1]. Neque de bove a Iudaeis ad montem Sinai pro numine culto tacuisset; et ubi Iudaeos ἱεροσύλους vocat, testes adduxisset sacros eorum libros, qui narrant Iudaeos ex Aegypto egredientes vasa aurea et argentea secum portavisse. — Apud Aegyptios et in primis apud Alexandrinos Manethonis iam aetate de Iudaeis, de eorum religione, moribus, historia, fabulosa multa narrabantur, et quum ipsi Iudaei patres suos ex Aegypto in Iudaeam demigrasse faterentur, mirum ni sacerdotes huius exitus vestigium in annalibus quaesivissent; et, traditum invenientes ex Aegypto olim multos viles et impuros homines et erga numina sua impios, fuisse eiectos, istos Iudaeorum despectorum patres esse statuissent. Manetho, quippe Aegyptius sacerdos, sine dubio Iudaeis, quibus Ptolemaei favebant, inimicus, libens hanc traditionem arripuit, et quamvis veritatis studio coactus, ἀδεσπότως μυθολογούμενα haec vocet, tamen occasionem Iudaeos increpandi et deprimendi praetermittere non potuit.

---

1) De convenientia inter Hebraeorum cultum et caerimonias et Aegyptiorum egerunt Witsius, qui multorum aliorum quoque hac de re opiniones attulit, in *Aegyptiacis*, et nuper Hengstenbergius in libello, cui titulus *die Bücher Mose's und Aegypten*. Huic quaestioni nova lux e renatis Aegyptiorum literis affulget; quare optandum est, ut aliquis Aegyptiacam et Hebraicam antiquitatem iuxta doctus denuo illam tractet.

§ 7.

Ex accurata fontium cognitione et e fragmentis argumentum et naturam totius operis fortasse nunc rectius intelligemus.

Perpetua fuit earum rerum enarratio, quae ad Aegypti historiam pertinentia in libris sacerdotum commemorata essent. Graecorum ibi de Aegypti historia fabulae saepius refutabantur, et ex auctorum ignorantia ortae esse explicabantur; sed Graecae mythologiae, quoties Aegyptum tetigerit, vestigia in historia Aegypti agnoscebantur. Forma Graecam rationem imitabatur, quamvis materiae, qua scriptor uteretur, conditio scribendi modum certis finibus magnam partem circumscriberet. In omnibus Aegypti historiae fontibus regum, non populi, fata et res gestae tradebantur, et propterea idem in Manethonis Aegyptiacis locum habuit. In his, ut ex Africani compendio et fragmentis satis constat, de populi conditione, moribus, institutis, de Aegypti chorographia, de gentium barbararum, quibuscum variis temporibus Aegyptii commercium habuerint, regione, origine, indole, moribus, religione ne obiter quidem agebatur. De pastoribus Hycsos nominatis Manetho nihil habuit, quod narraret, nisi eos genere fuisse ignobiles et venisse ex Oriente. Toto igitur coelo illius historia ab Herodoti aliorumque Graecorum distabat, ita ut cum iis ne comparari quidem recte possit; Berosi Chaldaïcis similior fuisse videtur, quam-

quam neque ista nisi e fragmentis mutilatis cognovimus [1]).

Initium Aegyptiaca ceperunt a diis, quos olim in Aegypto regnasse fabulabantur sacerdotes; deinde mortales reges a Mene inde singuli deinceps enumerabantur, quorum nominibus adscriptum erat quot annos, menses et dies regnavissent, ex qua urbe essent oriundi, et si quid praeterea de iis sacri libri traderent. Sponte tamen intelligitur non omnia historica documenta novisse Manethonem, quae suo tempore in Aegypto exstarent; imo dubium non est eorum, quae adhuc supersunt, quaedam illum plane latuisse. Sic e. g. exstat apud pagum Karnak, in splendidi palatii ruderibus, tabula picta regem Iudaeae Rehabeamum captivum a Pharaone Scheschonk deductum exhibens [2]), quam, puto, non vidit Manetho. Nam si eam cognovisset, et inde retulisset Pharaonem istum Palaestinam

---

1) Quod Syncellus p. 16 D. contra Manethonis auctoritatem affert, illius opus *κατὰ μίμησιν Βηρώσσου* conscriptum esse, quamquam negari nequit, illius tamen fidei minime nocet. Nihil enim verisimilius est, quam Manethonem in componendo opere, cui exemplum ad imitandum Graecae literae nullum proponerent, sibi Berosum, qui paucos ante annos e fontibus Aegyptiorum *ἀναγραφῶν* simillimis historiam Chaldaeorum Graece conscripserat, elegisse quem sequeretur. Talis imitationis nonnulla vestigia passim observavi. Neque Richterum, Berosi fragmentorum editorem, similitudo inter Manethonem et Berosum latuit. Vide eum p. 41 hac de re accurate disputantem.

2) Cf. Champollio, *Epist. ex Aegypt. script.* p. 99. Nomina populorum a Scheschonk subactorum descripta sunt in Champollionis collectione monumentorum Aegypti et Nubiae, Vol. II. tab. CCLXXXIV. *Iouthamalek* (sic scriptum est nomen *Iudaeae*) undetrigesimum nomen est.

olim invasisse et subegisse partem, sine dubio Iosephus illius testimonio ad suorum annalium traditionem confirmandam usus esset, atque Africanus ad Pharaonis nomen illud excerpsisset. Ex quorum silentio iure colligere mihi videor de expeditione regis Scheschonk in Palaestinam nihil habuisse Aegyptiaca. — Iam inde sequitur non tantum Aegyptiacis tribuendum esse, quantum vulgo Aegyptologi tribuunt. Ili enim non dubitant quin Manetho de omnibus regibus, initio a Mene capto, amplas retulerit traditiones, ita ut si illius opus integrum ad nos pervenisset, res Aegyptiacas non minus ac Graecas et Romanas accurate et plene teneremus [1]. Sed minus recte ita iudicant; et qui monumentorum sub primis Pharaonibus, naturam et documentorum paupertatem non omnino ignorat, fateatur necesse est, de regibus ante XII^am^ Africani dynastiam paucissima tantum Manethonem narrare potuisse, ita ut praeter regum nomina et regnorum annos, menses et dies, quae in ἀναγραφαῖς notata invenerat, nihil prope retulisse videatur. De XII^ae^, XVIII^ae^ et sequentium dynastiarum regibus plura eaque ditiora monumenta exstiterunt, heroica carmina, toichographiae, alia, quibus historiam suam saepius eum ornavisse vix dubito. Fortasse haec etiam causa fuit cur ab Ammeneme, primo XII^ae^ dynastiae rege, novum volumen inceperit: nimirum ab huius inde tempore Manetho opus aridum et instar catalogi nomina modo continens, et paucissimis animadversionibus ornatum,

---

1) Cf. ante omnes Rosellini apud Hengstenbergium, p. 258.

faciebat perpetuam et copiosiorem enarrationem rerum a singulis regibus gestarum. Idem significare mihi videtur Iosephus, ubi, primos homines diutius quam nos vixisse tradens, testem advocat Manethonem, *τὸν τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενον ἀναγραφήν*, nam *ἀναγραφή* nominari vix potest liber qualis vulgo habentur Aegyptiaca; sed Iosephus primum volumen, ubi diuturna mythicorum regum ante Menam regna memorabantur, spectat, cui, si antecedentia vere disputavi, *ἀναγραφή* aptum nomen erat.

Neque assentior Bunsenio statuenti, I. p. 108, Manethonem narrationi interposuisse aut adiunxisse indices, in quibus reges cum annorum, quot regnaverint, numero ordine essent dispositi; quos indices descripsisse et brevi annotatione ex ipso opere desumta tantum auxisse Africanum. Sed cur distincti ab opere indices, nisi ipsum opus prolixius fuisse ponamus, quam par esse iam supra apparuit? Accedit quod si Manetho ipse hos indices composuisset, explicari non possit, quomodo errores, qui secundum Bunsenium [1]) quoque in Africani conspectu reperiuntur, commissi fuerint; nam maiores sunt quam quos Manethoni ipsi tribuamus, neque Africanus si indices e Manethonis opere tantum descripsisset, tam turpiter errare potuisset. Tandem Bunsenii opinio defendi nequit, nisi divisionem in dynastias Manethoni obtrudamus, quod improbandum esse iam supra vidimus.

---

[1]) Vide eum de Ammeneme inter XIam et XIIam dynastiam interiecto, II. p. 286, et de regibus Aethiopibus, III. p. 137, disputantem.

Tenendum quoque est, si ipsius Manethonis verba ab Africani et Eusebii additamentis secernere volumus, eum historiam conscripsisse, hos vero ex illius historia chronologiam composuisse. Haec iam observatio sufficeret ad demonstrandum computationes regum et annorum, in fine voluminum positas, non Manethonis esse, sed compendii auctoris. Quod confirmant multa quae in computationem irrepsere vitia, quae Manetho commisisse non potuit [1]). Idem valet de regum in singulis dynastiis nominatorum et de annorum quos regnaverint numero. Nam ex eo, quod distributionem in dynastias Manethoni abiudicavimus, sponte sequitur neque summam annorum in dynastiis ab eo profectam esse. Praeterea si statuamus Manethonem dynastiarum reges et annos ipsum computasse, cum Bunsenio statuere debemus Aegyptiacis indices fuisse adiunctos, quam sententiam improbabilem esse iam apparuit; denique in fragmentis apud Iosephum talis computationis exemplum desideratur. Attamen ex iisdem fragmentis et e totius operis natura verisimile est, auctorem interdum quot annos familia imperium Aegypti obtinuerit, designasse; sed non semper, quia historiam, non chronologiam exponere ei consilium erat.

Multo gravior quaestio est, utrum e mente Manethonis plures eodem tempore familiae variis Aegypti partibus imperaverint, an una toti, ex qua familia alter alteri semper successerit. Secundum Manethonem

---

1) Idem censet Bunsenius I. p. 123, sed argumentum, quo fidit, non multum valet, de quo infra. Boeckhius, p. 4 sq. dubitat.

plures simul regnasse censet Bunsenius, I. p. 122 sq. cuius rei certissimum argumentum invenisse sibi videtur in iis, quae de serie annorum in Aegyptiacis exposita tradidit Syncellus p. 52 D.: *τῶν ἐν τοῖς τρισὶ τόμοις ριγ' γενεῶν ἐν δυναστείαις λ' ἀναγεγραμμένων αὐτῶν ὁ χρόνος τὰ πάντα συνῆξεν ἔτη ͵γφνέ.* Nimirum haec verba sic interpretatur: »Generationum 113 in tribus Aegyptiacorum voluminibus per 30 dynastias descriptarum temporis summa illi est 3555 annorum." Summa vero annorum singularum dynastiarum est 5366; ergo si Manetho dixisset totum Pharaonum regnum durasse 3555 annos, manifestum esset ex illius sententia duas interdum dynastias eodem tempore regnasse. Sed in Syncelli verbis neque hic, neque alius sensus inest, quippe corrupta sunt, et sic emendanda, ut docuit vir doctus qui in diario Edinburgensi Bunsenii opus diiudicavit [1]): *τῶν ἐν τοῖς τρισὶ τόμοις ριγ' γενεῶν ἐν δυναστείαις λ' ἀναγεγραμμένων αὐτῷ* (scil. *τῷ Μανεθῷ*) *ὁ χρονογράφος τὰ πάντα συνῆξεν ἔτη ͵γφνέ.* Idem quoque vidit Boeckhius, p. 136 sq., qui vero pro *ὁ χρόνος ὁ Ἀνιανός* legendum censuit. Non Manethonis ergo sed chronographi cuiusdam, qui Aegyptiaca excerpserat, haec computatio est, ac hanc ob rem nihil valet. Et praeterea probanda videtur Boeckhii coniectura, Syncellum in Aniano (vel quem alium citaverit chronographum) non 3555 sed 5355 annos, tanquam trium voluminum

---

1) The Edinburg review, Vol. LXXXIII (anni 1846), p. 411 sq.

summam, invenisse, quem numerum more suo corruperit [1]).

Hoc argumento igitur reiecto, videamus an alterum magis valeat. Desumtum est ex Aegyptiacorum apud Iosephum excerpto, ubi haec inveniuntur: *μετὰ ταῦτα δὲ τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτου βασιλέων γενέσθαι φησὶν* (Manetho) *ἐπὶ τοὺς ποιμένας ἐπανάστασιν, καὶ πόλεμον αὐτοῖς συῤῥαγῆναι μέγαν καὶ πολυχρόνιον.* Hoc loco reges Thebaïdis et reges ceterae Aegypti aequales commemorari certissimum est; cff. Heerenius, p. 104, Boeckhius, p. 118, et Bunsenius, III. p. 24. Et, sine auctore etiam, facile crederemus, quum pastorum dominatio labi inceperit, plures Aegypti urbes servile iugum a cervicibus decussisse, et liberas civitates constituisse, quae suum quaeque haberent regem [2]); sed simulac e tota Aegypto hostis fuit depulsus, unus statim legitimus Pharao imperium obtinet. Quod ipse Iosephus docet, nam statim addit: *ἐπὶ δὲ βασιλέως, ᾧ ὄνομα εἶναι Μισφραγμούθωσις ἡττωμένους φησὶ τοὺς ποιμένας.* Nam si plures tunc temporis in variis Aegypti partibus reges fuisse significare voluisset, dixisset, ni fallor: *ἐπὶ δὲ τῆς Θηβαΐδος βασιλέως κτέ.* Frustra quoque inde opinionem confirmare conatur Boeckhius, quod Manetho pastores *τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ ἡγεμονεύσαντας* subegisse

---

1) Boeckhius l. l. omnia quae ad huius testimonii diiudicationem pertinent accuratissime exposuit, ita ut ad eum lectorem ablegare mihi liceat.

2) Infra videbimus in Africani Aegyptiacorum compendio huius rei certum indicium inveniri.

ni Aegyptiaca, iubente Philadelpho, statim in publica Alexandrina bibliotheca deposita sint; quare non intelligo, quomodo Ptolemaeus Evergetes Eratosthenem, huius bibliothecae praefectum, rursus Aegyptiorum chronologiam exponere iusserit; neque, quamobrem hic, Manethonis opere neglecto, Diospolitanos annales adire maluerit. Manethonis Aegyptiaca eum sine dubio non latuerunt, quare exspectares eum saltem exposuisse cur Manethonem non secutus esset; qua de re tamen omnino tacuisse videtur.

Sed tota haec Eratosthenis regum Thebanorum series, quaeque ad eam pertinent, mihi valde suspecta sunt. Et, quoniam nuperrime Bunsenius Eratosthenis catalogum Manethonis Aegyptiacis anteponendum esse iudicavit, operae pretium erit investigare num revera huic catalogo plus quam Manethoni tribuendum sit.

Unus qui catalogi mentionem facit, et qui eum servavit Syncellus est. Quae de eo, chronogr. p. 91, narrat haec sunt: *Ἀπολλόδωρος χρονικὸς ἄλλην Αἰγυπτίων τῶν Θηβαίων λεγομένων βασιλείαν ἀνεγράψατο βασιλέων λη', ἐτῶν ͵αος', ἥτις ἤρξατο μὲν τῷ βϡλ' ἔτει τοῦ κόσμου, ἔληξε δὲ εἰς τὸ ͵γϡοε'* (sic legendum esse pro *͵γϡμε'* vidit Bunsenius) *ἔτος τοῦ κόσμου. ὧν τὴν γνῶσιν, φησίν, ὁ Ἐρατοσθένης λαβὼν ἐξ Αἰγυπτιακῶν ὑπομνημάτων*, (sic lego pro corruptis *λαβὼν Αἰγυπτιακοῖς ὑπομνήμασι*) *τὰ ὀνόματα* (sic rursus lego pro *καὶ ὀνόμασι*, quod sensu caret,) *κατὰ πρόσταξιν βασιλικὴν τῇ Ἑλλάδι φωνῇ παρέφρασεν οὕτως·* (sequuntur nomina regum. — In fine catalogi haec leguntur p. 147 D.).: *Ἡ τῶν λη' βασιλέων τῶν κατ' Αἴγυπτον*

λεγομένων Θηβαίων, ὧν τὰ ὀνόματα Ἐρατοσθένης λαβὼν ἐκ τῶν ἐν Διοσπόλει ἱερῶν γραμμάτων (sic legendum esse pro *ἱερογραμματέων* antecedentia docent; eadem sunt quae supra *Αἰγυπτιακὰ ὑπομνήματα* vocantur,) *παρέφρασεν ἐξ Αἰγυπτίας εἰς Ἑλλάδα φωνὴν, ἐνταῦθα ἔληξεν ἀρχή· ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ τοῦ βϡλ′ κοσμικοῦ ἔτους, ἔτεσιν ρκδ′ μετὰ τὴν σύγχυσιν τῶν γλωσσῶν, λήξασα δὲ εἰς τοῦτο τὸ ͵γϡοε′ τοῦ κόσμου ἔτος. Τῶν δὲ τούτοις ἐφεξῆς ἄλλων νγ′ Θηβαίων βασιλέων ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Ἀπολλοδώρου παραδεδομένων τὰς προσηγορίας περιττὸν ἡγούμεθα, ἐνταῦθα ὡς μηδὲν συμβαλλομένας ἡμῖν, παραθέσθαι, ἐπεὶ μηδὲ αἱ πρὸ αὐτῶν.*

Plurimis hoc testimonium difficultatibus premitur. Nam primo Apollodorus chronographus, ex quo Syncellus se hausisse praedicat, scripsit quidem chronica, sed initium cepit a Troiae excidio, ut discimus e Scymno Chio (quem vide in fragment. historic. Graec. a Muelleris collect. p. 435), unde patet regum Thebanorum seriem in isto opere expositam non fuisse. Ut hanc difficultatem amoveret, Muellerus, prolegom. ad fragm. histor. Graec. p. XLIII, statuit chronica, quorum notitiam dedit Scymnus, epitomen fuisse maioris cuiusdam operis, in quo res antetroianae etiam descriptae essent. Sed res antetroianae ex Apollodori chronicis ab Eusebio et Syncello solis afferuntur, et Niebuhrius iam observavit, Opusc. I. p. 187, Apollodori chronica ecclesiasticis chronographis non nisi ex Alexandro Polyhistore nota fuisse. Quare dubito an revera Syncelli testimonium ex Apollodoro manaverit.

narrat; nam ἡγεμονεύσαντες non reges sed nomarchi sunt.

Ex iis igitur, quae supersunt, fragmentis comprobari nequit Manethonem quarundam dynastiarum συγχρονισμόν significasse; nam pastores, quibus dominantibus Pharaonum imperium continuabatur, non legitimi reges fuerunt. Imo in annotationibus, quas Africanus regum nominibus adiecit, plura indicia adsunt ex quibus contrarium sequi videtur. Thinitarum enim II^ae^ dyn^ae^ (quam Memphitis regibus συγχρόνον opinatur Bunsenius) primo regi adscriptum est: »sub »hoc Bubasti terra discessit;" et secundo: »sub hoc »institutum est ut boves Apis quidem in urbe Mem»phi, Mneuis autem in urbe Solis pro diis colerentur." Utraque annotatio inferioris Aegypti historiam spectat: cur autem, si eodem tempore quo hi Thinitae superiorem Aegyptum tenuerint, alios Memphitas in inferiore regnavisse significasset, Thinitis potius quam Memphitis historiam urbium in inferiore Aegypto sitarum apposuisset? Regibus IX^ae^ dyn^ae^ Heracleopolitis e Bunsenii opinione Memphitae VI^ae^ et VII^ae^ dyn^arum^ fuerunt aequales; sed eorum primus Achthoes narratur omnes Aegyptios, τοὺς ἐν πάσῃ Αἰγύπτῳ, crudeliter vexavisse: ergo reges Heracleopolitae totam Aegyptum obtinuerunt. Neque aliter statuendum de V^a^ dyn^a^, quae dicitur ἐξ Ἐλεφαντίνης, non ἐν Ἐλεφαντίνῃ, ut scribendum fuisset, si sedem imperii non Memphin sed Elephantinem fuisse Manetho voluisset [1]).

[1]) Haec interna argumenta contra Bunsenium primus attulit vir doctus iam supra laudatus in diario Edinburgensi.

Quare nullus vereor statuere dynastiarum *συγχρονισμόν* in Aegyptiacis non expositum fuisse; utrum tamen recte se habeat haec Manethonis expositio nec ne, in hac commentatione diiudicare mihi non licet.

Librum e tam puris fontibus haustum et tanta fide conscriptum periisse, semper erit quod doleamus. Sed tamen non prorsus irreparabile damnum est. Persuasum saltem mihi habeo, et, ut spero, aliis etiam persuasi, Aegyptiaca tantum de iis temporibus amplas continuisse relationes, quorum adhuc plurima supersunt monumenta; de iis contra, ex quibus praeter nuda regum nomina, et annos, quos singuli regnaverint, nihil fere traditum accepimus, neque Manethonem multa narrasse. Si hoc verum est, nihil nos vetat sperare fore ut aliquando, singulis quae ad nos pervenerunt praesidiis accurate exploratis et prudenter adhibitis, Aegyptiorum historiam restituamus, accuratiorem et pleniorem, quam in Manethonis opere erat exposita. Debebimus magnam partem illud, libentes fateamur, Iosepho et chronographis ecclesiasticis, qui nobis fragmenta et conspectum Aegyptiacorum servaverunt; nam si uberrimo hoc fonte careremus, de chronologia restituenda cogitare vix auderemus, aut saltem multo plura et graviora impedimenta haberemus.

§ 8.

Quae causa fuerit, cur talem librum tot veterum historici ignoraverint, mihi non satis liquet. Mirum

tuerat, e sacra dialecto esse petitas; quod fieri non potuisset, nisi interpretationes ab alio quodam essent adiectae, quam qui primus nomina Graecis literis expresserat. Pauca, ex quibus illud lucide appareat, h. l. afferam. Primi regis nomen Menes vertitur *Αἰώνιος*, cui versioni scriptura hieroglyphica (vide Bunsenii tab. I. nom. 1) minime favet; Coptice contra ⲛⲉⲛⲉϩ vel ⲙ̄ⲉⲛⲉϩ (nam ⲙ̄ et ⲛ̄ saepius permutantur v. Peyron Gramm. Copt. p. 41) significat *aeternus.* Vigesimi regis nomen *Apappus* interpretatur catalogi auctor *μέγιστος*, quia nempe ⲁⲫⲱⲫ vel ⲁⲡⲱⲡ Coptice *gigas* est, quam vero explicationem scriptura nominis apud Bunsen. Tab. II. c. 3 refutat. Aliorum nominum in monumentis nondum repertorum versiones eiusmodi sunt, ut veras, i. e. e sacra lingua et scriptura hieroglyphica deductas, eas esse non posse statim intelligamus. Regis undecimi v. c. nomen Sirius transfertur *υἱὸς κόρης*, quale nomen proprium nemo unquam Aegyptius gessit [1]). Neque aptius regi nomen est *κόσμος φιλήφαιστος*, quod scilicet significaret Thomaephta, quia e Coptica lingua haec verborum significatio erui potest. Aliis rursus nominibus nulla versio apposita est, quamvis quid significent e scriptura hieroglyphica certissime constat, cuius rei caussa est, quod e Coptica lingua non possunt explicari: sic Ammenemes (apud Bunsen. III. c. 6.) non vertitur, quamvis

---

1) Bunsenius II. p. xi. putat Sirium Eratosthenis eundem esse ac Sah-u-ra monumentorum, non tamen negat hoc nomen aliud omnino significare atque *υἱὸν κόρης*.

nihil certius sit, quam huius nominis sensum esse *Ammon in fronte.*

Ex his omnibus certissime constat omnes nominum interpretationes non ab eo, qui Aegyptiaca regum nomina Graecis literis consignavit, sed ab alio deinde, linguam copticam quidem tenente sed sacrae dialecti ignaro, esse adiectas. Quare statuendum est Syncellum aut in eo erravisse quod interpretationes Eratostheni tribuit, aut in eo quod tradit ipsum Eratosthenem nomina et annos in sacris libris scripto mandata invenisse. Sed quia iam apparuit Eratosthenem sacram linguam verisimiliter non tenuisse: tantum remanet, nisi totum Syncelli testimonium reiiciamus, ut putemus Eratosthenem a sacerdote aliquo nomina Graecis literis expressa accepisse, quae frustra e lingua demotica interpretari esset conatus. Illius igitur auctoritas hac in re nulla esset. Sed talis opera Eratosthene omnino indigna est, neque ullus dubito quin illius nomen catalogus iniuria gerat.

His praemissis videamus quid inter Manethonis regum seriem et Eratosthenis intersit. Praeterquam quod non semper de annorum numero, quos singuli reges regnaverint, conveniunt, in eo praecipue differunt, quod multo plures a Manethone quam ab Eratosthene reges memorantur. Quam discrepantiam Bunsenius inde explicare voluit, quod ab hoc reges alterum alteri semper succedentes expositi essent, ab illo vero ii quoque, qui cum Eratosthenis regibus *συγχρόνοι* fuissent. Quae coniectura, quamvis ingeniosa, non vera tamen videtur, et iam refutata nuperrimis Lepsii

Apollodorus porro, si Syncello fides, ab Eratosthene catalogum regum se mutuatum esse testatus erat [1]). Sed ex quonam Eratosthenis opere eum excerpserit minime liquet. Nam vulgaris opinio, quam sequitur Bunsenius, Eratosthenis opus de chronologia Aegyptiorum ineditum prius editum fuisse ab Apollodoro, defendi omnino nequit. Scripsit enim chronica, ut videtur, quo tempore Pergami in Attali II Philadelphi aula degebat, cui etiam opus suum dedicavit — vide Parthey, Mus. Alexandr. p. 149, — et sine dubio Eratosthenis opera inedita in Alexandrina bibliotheca servata fuissent, quippe quae, ipso Syncello testante, iussu regis conscripta fuerant. Ex edito igitur quodam Eratosthenis libro, si Syncellus vere tradit, Apollodorus hauserat. Sed ex quo? Scripserat Eratosthenes *χρονογραφίας*, sed omnia quae huius operis exstant fragmenta ad Graecorum historiam pertinent, et quod testatur Syncellus, catalogum *κατὰ πρόσταξιν βασιλικὴν* fuisse compositum, significare videtur singularem de Aegyptiorum chronologia librum ab Eratosthene scriptum. Sed eiusmodi librum, praeter Apollodorum a Syncello allatum, nemo usquam citavit, quod vel ipsum haberi potest suspectum. Si haec omnia perpendimus non est cur

---

1) Quamvis Syncellus non diserte annotavit secundam quoque, LIII regum, seriem Apollodorum ex Eratosthene descripsisse, tamen non significavit, quod statuit Bunsenius I. p. 162, eam Apollodorum ipsum composuisse; Syncellus narrat Apollodorum secundam seriem *παραδεδωκέναι*, tradidisse, quae vox Bunsenii explicationi non favet.

Eratosthenis nomini multum tribuamus: semper enim dubium manet, utrum ab illo revera catalogus profectus sit, an alius quis huius nomen sit mentitus, quo maiorem sibi fidem conciliaret.

Sed si revera constaret catalogum regum ab Eratosthene alicubi esse depositum, et ab Apollodoro fideliter descriptum, ne sic quidem tanti illum facerem, quanti facit Bunsenius. Nam semper ignorabimus utrum Eratosthenes ipse, sacram Aegyptiorum linguam doctus, in vetusta chronologiae documenta inquisiverit, an ab Aegyptio aliquo sacerdote regum nomina et annos, Graecis literis exarata, acceperit. Calluisse vero eum Aegyptiorum sacram linguam vix probabile est; nam eorum qui Eratosthenis doctrinam laudibus efferunt nemo hoc illi tribuit; quod tamen non facile tacuissent; porro Graeco homini triginta annos iam nato, — neque ante hunc aetatis annum Eratosthenes in Aegyptum venerat [1]), — difficillimum erat sacram linguam addiscere, ex qua neque magnam utilitatem percepisset. Sed coniectura non opus est; ipse catalogus auctorem prodit linguae sacrae ignarum, quod quomodo Bunsenium fugerit non intelligo. Ut supra vidimus, Aegyptiacis nominibus Graeca interpretatio apposita est, quam ab Eratosthene factam esse Syncellus diserte addit. Quas interpretationes si singulas accurate cum ipsis nominibus comparamus, statim apparet eas e lingua coptica, i. e. demotica, non, ut opor-

---

1) Eratosthenes natus est anno 276 a. C. n.; venit in Aegyptum arcescente Euergete I, qui ab anno 247 a. C. n. regnare inceperat.

indagationibus sepulcrarum circa pyramidas, unde manifestum est reges ex Elephantine, V^ae^ dynastiae, qui in Eratosthenis catalogo omissi sunt, cum praecedenti Memphitarum dynastia non *συγχρόνους* fuisse, sed illis successisse, sicuti Manetho tradiderat [1]). Sequitur ergo in catalogo Eratosthenico non omnes sed praecipuos tantum reges memorari; quare equidem censeo catalogum esse versionem Aegyptiaci documenti non dissimilis toichographiarum Abydenae et Thebanae, in quibus quoque praecipui tantum Pharaones exhibentur. Minime saltem cum Bunsenio Aegyptiaca Manethonis isti regum seriei, quamvis Eratosthenis nomen prae se ferat, postponam. — Sed redeamus ad Manethonem.

Extra publicas bibliothecas paucissima tantum Aegyptiacorum exemplaria dispersa fuisse credo, nam nemo Graecorum, qui sub Ptolemaeis Aegyptum visitaverunt et illius historiam descripserunt, Manethonis opere usus esse videtur. Diodorus Siculus, qui innumerabiles historicos perlegerat, ne nomen quidem Manethonis citat, unde patet hoc tempore fere ignota Aegyptiaca fuisse. Quae obscuritas, ni fallor, unice probabiliter explicatur, si statuamus Manethonis volumina non, ut vulgo putant, amplam continuisse historiam, sed chronographiam passim annotatione et narratione paulo fusiori ornatam, quod supra iam e fontium, ex quibus derivata sint, conditione conclusimus.

---

1) Cf. Raoul-Rochette, in diario *Journal des Savants*, anni 1846.

Universe librorum de rebus Aegyptiacis sors haec fuit: qui nihil nisi fideles Aegyptiacorum operum versiones continebant, licet propterea plurimi essent faciendi, tamen fallebant lectorum de Aegyptiorum sapientia nimiam exspectationem, ideoque negligebantur; quum contra, qui a Graeculis deceptoribus conflati, omni fide carebant, et mendaciis atque nugis repleti erant, omnium manibus tenerentur et sedulo legerentur. Sic libri Hermetici, ut vocantur, quos Graeci philosophi, neoplatonici praecipue, composuere, a pluribus laudantur et describuntur; astrologica, Petosiridi aliisque iniuria adscripta, ad nostram aetatem pervenerunt: sed Hermapionis accuratissima hieroglyphicarum inscriptionum in obeliscis insculptarum interpretatio ab uno Ammiano Marcellino commemoratur, et utilissimorum Manethonis operum paucissima tantum fragmenta ad nos pervenerunt.

Iam hac animadversione Boeckhii, p. 120 sq., coniectura refutatur, ante Iosephi aetatem plures easque diversas Aegyptiacorum editiones pervulgatas fuisse. Nam ante Iosephum, arbitror, nemo tanti faciebat Manethonem, ut eius narrationes, quo melius cum libris veteris Testamenti consentirent, consulto mutaret. Neque argumentum, quo opinionem Boeckhius defendit, quidquam valet: perperam enim contendit ipsum Iosephum testari se duobus diversis Aegyptiacorum exemplaribus esse usum, quasi illud conficeretur e verbis: *ἐν δ' ἄλλῳ ἀντιγράφῳ οὐ βασιλεῖς σημαίνεσθαι διὰ τῆς τοῦ ΥΚ προσηγορίας, ἀλλὰ τοὐναντίον αἰχμαλώτους δηλοῦσθαι ποιμένας.* Sed haec verba,

quae non recte interpungit, perperam e vulgari opinione Iosepho tribuit, quum ipsius Manethonis sunt, ut in annotatione ostendam.

Primus, quem novimus, ex Aegyptiacis hausit Flavius Iosephus [1]), Iudaeorum historicus. Miratur Hengstenbergius p. 249, neque iniuria, quod, postquam Manethonis opera 350 prope annos latuerant, subito innotuerint, et a pluribus, Iosepho, Plutarcho, Aeliano, omnibus eodem fere tempore florentibus, citentur et describantur. Sed apud Suetonium locus exstat, qui omnes tenebras, quibus Aegyptiacorum sors obvoluta videtur, egregie dispellit: si modo teneamus Iosephum libros, in quibus Manethonis operum mentionem facit, scripsisse senem, Domitiano iam per 13 annos imperante [2]). Suetonii locus hic est: (vit. Domit. c. XX) »Liberalia studia in initio imperii neglexit, quam»quam bibliothecas incendio absumptas impensissime »reparare curasset, exemplaribus undique petitis, mis»sisque Alexandriam, qui describerent emendarent»que." Ex hac narratione omnia sic explico: Manethonis opera, quum absoluta erant, statim iussu regis Philadelphi in publica Alexandrina bibliotheca deposita fuerant, ubi propter formam, chronico similiorem quam historiae, et propter argumentum,

---

1) Nescio quomodo vir doctus in diario Edinburgensi asseverare potuerit Iosephi adversarium, Apionem, primum Aegyptiaca commemorasse.

2) Manethonem nominat Iosephus initio Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας, et in libello contra Apionem. Scripsit c. A., Archaeologia iam absoluta (cf. initium l. I. c. A.); et Archaeologia perducta est ad annum XIIIum imperii Domitiani.

Graeco homini non adeo gratum, a *τοῖς ἐκ Μουσείου* negligebantur, et incredibili, qui ibi servabantur, librorum copia obscurata prope latebant; donec tandem ab iis, quos Domitianus miserat, cum aliis multis forte fortuna descripta et Romam allata sunt. Romae in publica bibliotheca Iosephus ea invenit, perlegit, et e tenebris in lucem revocavit. Hoc propterea verisimilius etiam est, quod cetera Manethonis opera eadem omnino habuerunt fata, quippe quae ad Domitiani tempus item incognita, tunc subito a Plutarcho et Aeliano, qui diu Romae degerunt, citantur et excerpuntur.

Iosephus nobis duo luculenta secundi libri fragmenta servavit, quae nisi haberemus, nihil de totius operis natura aut argumento statuere potuissemus. Sed non tantum ex iis quae narrat multa discimus, sed nonnulla etiam ex eius silentio iure collegisse mihi videor. Nimirum antequam Archaeologiam conscribere incepit, Manethonem iam perlegerat, cuius nempe testimonium in initio huius operis statim affert. Quare causa aliqua subesse debuit, cur Manethonem testem non advocet ad veteris Testamenti traditionem confirmandam, ubi bellum narrat inter Sesacum et Rehabeamum (l. VIII. c. 10), et ubi de Senacheribi expeditione Aegyptiaca agit (l. X. c. 1); quae corroborare studet relationibus Herodoti, cuius vero auctoritas multo minor erat, quam Manethonis Aegyptii sacerdotis fuisset. Duae tantum huius rei causae excogitari possunt: aut *Aegyptiacorum* expositio a Iudaeorum relatione nimis distabat, aut *Aegyptiaca* de bellis Aegyptiorum cum Iudaeis omnino tacebant.

Vereor, Manethonis causa, ne hoc verius sit; nam si Sesaci v. c. expeditionem in Iudaeam descripserat, illam Iudaeis turpiorem reddere vix potuerat, quam fuisse ipse Iosephus confessus est. Et praeterea, quod saepius iam explicavi, fontium natura ferebat, ut de rebus gestis raro fusius agere posset.

Fragmenta, quae servavit Iosephus, inveniuntur in l. I. c. Apionem: in quo libello aliorum quoque scriptorum locos, v. c. Herodoti, apposuit, quos accurate et fideliter eum descripsisse apparet, si cum iis ipsa scriptorum laudatorum verba comparamus, ita ut illius diligentiam et fidem in describendo Manethone temere suspectam habere nobis non liceat. Fortasse ubi Manethonis narrationem excerpere voluit, erravit aliquando, sed eum consulto huius verba corrupisse ostendi nequit.

Reges, qui apud Africanum XVIII[a] dynastia continentur, e Manethone quoque profert Theophilus, Antiochiae episcopus, qui sub M. Aurelio Antonino floruit. Cuius vero si catalogum regum accuratius spectamus, apparet e Iosepho eum totum esse descriptum, quare nihil inde proficiamus. Idem censent Boeckhius p. 251 sq. et Bunsenius I. p. 253. Locum ipsum in annotatione describam.

Praeter Iosephum nullus scriptor, eorum qui supersunt, ipsa Aegyptiacorum verba alicubi nobis servavit. Sed totum opus in compendium coegit Iulius Africanus [1]), qui sub Heliogabalo (ann. 218-222)

[1]) Compendium non ipsum Africanum composuisse, sed ab alio iam compositum descripsisse tantum statuit Bunsenius I. p. 251; sed nullum opinionis argumentum affert.

urbis Emmauntis, quae postea Nicopolis nominata est, episcopus erat. Scripsit quinque volumina χρονογραφιῶν, in quibus Aegyptiorum et Chaldaeorum chronologiam exponebat et absurdam esse demonstrabat, quo facto Veteris Testamenti tempora disponere studebat; ad quae deinde, aliquot συγχρονισμῶν ope, Graecorum barbarorumque annos referebat. Huius operis pars erat Manethonis Aegyptiacorum epitome.

Quomodo Africanus ea excerpserit e natura operis, quod curabat, satis intelligitur. Nempe non Aegypti historiam, sed seriem regum et annos regnorum lectoribus ostendere consilium illi erat, ut tandem, annis computatis, prodiogiosa temporum series suam ipsa fatuitatem argueret. Sed plurium quam trecentorum regum nomina singula deinceps enumerare, et tandem horum omnium annos computare ingratus et molestus labor erat; cui praeterea imminebat periculum ne nominum multitudine et annorum immenso numero omnis ratio turbaretur. Quae difficultas sublata esset, si reges in aliquot sectiones distinguerentur, et cuiusque sectionis regum anni seorsum computarentur, quae summae tandem facilius possent enumerari. In promtu erat divisio in dynastias: nam Manetho, quoties novus rex Aegypti imperium occupabat, quanam urbe fuisset oriundus annotaverat. Secundum has Manethonis observationes omnes reges in dynastias distribuit, quas ex urbe natali cognominavit; et quoties numerus regum ex eadem familia nimius illi videretur, hanc suo arbitrio in duas divisit, quarum ut secundam a prima distingueret, annotavit

eam ex eadem quidem urbe oriundam sed ἑτέρας συγγενείας esse. Huius meae sententiae argumenta in annotatione proferam; supra iam exposui cur vulgaris opinio, quae Manethoni divisionem in dynastias tribuit, mihi improbanda videatur.

Praeter nomina et annos quominus multa ex Aegyptiacis describeret Africanus, vetuit consilium chronographiae; quem quidem laudamus quod aliquot regibus brevem adiecit annotationem. Utrum tamen e Manethone an aliunde hanc depromserit, dubitant viri docti. Sed Boeckhius p. 176 sq. evidenter demonstravit animadversiones alias pertinere ad Aegypti historiam, alias ad synchronismos rerum ab Aegyptiis gestarum cum Iudaeorum et Graecorum factis. Synchronismos constituere Africanus in chronographiis conatus est; Manetho vero propter fontium naturam non potuit, quapropter omnes eiusmodi synchronismos ne dubitemus Africano tribuere. Accedit, quod Boeckhius acute ostendit omnes synchronismos egregie convenire cum systemate chronologico Africani, quod aliunde cognitum est. Ceterorum annotationum paucae ab Africano, plures ab ipso Manethone profectae esse videntur, de quibus accuratius in annotatione disputabo.

Fidem Africani, quantum scio, nemo huc usque in dubium vocavit, neque causam excogitare possum, quare ille, ubique bona fide agens, in excerpendo Manethone lectorem voluisset decipere. Sed si fraudis crimine eum tenere non possum, tamen negligentia et socordia Manethonis narrationem interdum vehementer conturbasse in annotatione convincam.

Illius chronographiam interiisse vix opus est ut moneam [1]). Magno historiae bono epitomen Aegyptiacorum descripsit Georgius Syncellus (de quo infra), satis accurate, ut constare videtur ex eo, quod quae ex Eusebii chronico descripsit, optime conveniunt cum Armeniaca eiusdem operis versione, quae paucos ante annos reperta est.

Duas editiones chronographiae aut saltem Aegyptiacorum compendii curasse Africanum statuerunt Scaliger, Animadv. in Chron. Eusebii p. 4 et Bunsenius I. p. 252, quod colligere sibi visi sunt e loco Syncelli, ubi citatur *ἡ δευτέρα ἔκδοσις Ἀφρικανοῦ*, sed ibi vocem *δευτέραν* spuriam esse comprobavit Boeckhius p. 122.

Saeculo circiter post Africanum Eusebius Pamphili *χρονικῶν* duos libros edidit, quorum secundus *χρονικοὺς κανόνας* continebat, et primus quasi *προπαρασκευή* erat, (ipse Eusebius eam vocat *παντοδαπὴν ἱστορίαν*) ubi documenta chronologica, in quibus canones niterentur, erant exposita. Totum hoc opus periit; sed canones in Hieronymi Latina versione forte fortuna servati sunt, et *παντοδαπῆς ἱστορίας* plurima fragmenta suae chronographiae inseruerat Syncellus. His praecipue praesidiis et sagaci ingenio adiutus Iosephus Scaliger Eusebii chronicon restituere aggressus est, in cuius studio acquiescendum fuisset, nisi felici sorte, exeunte proximo saeculo, ipsum Eusebii chronicon Ar-

---

1) Iulii Africani Chronographiae fragmenta et epistolas edidit et illustravit M. I. Routh in II° vol. Sacrarum Reliquiarum.

meniace versum Constantinopoli repertum fuisset [1]). Tunc apparuit multa, quae Syncellus ex aliis chronographis congesserat, Eusebio tribuisse Scaligerum, Syncellum contra Eusebiana multa praetermisisse.

Iam Scaligerum non fugerat Eusebium in priore operis parte omnia fere ex Africani chronographia descripsisse [2]); cuius tamen observationis veritas nunc demum ex integro Chronico reperto manifeste apparuit. Exemplo unum hoc afferam: Eusebius l. I. c. 41. scriptores enumerat quorum opera in παντοδαπῇ ἱστορίᾳ excerpserit, sed hoc etiam caput ex Africano eum descripsisse ostendit Niebuhrius, in dissertatione: *de utilitate quae ex Armeniaca Eusebii Chronici versione historiae redundet* (Opuscul. I. p. 107 sq.). Plures enim, quibus se usum esse profitetur, scriptores in chronico ne semel quidem afferuntur.

Si haec Niebuhrii suspicio vera est, non temere ex eo quod in eodem capite Eusebius se Manethonis Aegyptiacorum monumentorum tribus libris usum esse praedicat, colligendum erit illi revera Manethonem ipsum ad manum fuisse. Diu autem a viris doctis iam dubitatum est, utrum Manethoniana Eusebii ex Africano an aliunde hausta sint, nequedum de hac re omnes consentiunt. Scaliger in Manethonis compendio quoque Eusebium totum ab Africano pendere sta-

---

1) Armeniacam versionem in Latinam linguam translatam ediderunt Maius et Zohrab, Mediol. 1818. 4°.; Aucher, Venet. 1818. 4°.; et iterum Maius in collectionis Vaticanae Vol. VII. Qua postrema editione equidem usus sum.

2) Vide illius Prolegom. ad Eusebii *Chronic.*

tuit [1]); Boeckhius contra, p. 116, cui Bunsenius I. p. 252 assentitur, eum Africani compendium cum aliorum excerptis comparavisse censet; et Aegyptologi plures Africano Eusebium anteponunt, quasi ex ipsis Aegyptiacis hausisset.

Sed horum saltem opinio nullo modo defendi potest. Postquam enim Eusebius Aegyptiacorum epitomen exposuit, sic pergit (c. xx in fine): »Quoniam vero et »Flavius Iosephus, de Hebraeorum moribus disserens, »e Manethonis libris testimonia excitavit, operae pre»tium est eiusdem quoque verba in medium afferre, »quae in priore de veteribus Hebraeis libro eiusmodi »sunt.” Sequuntur ipsa Iosephi verba. Si Manethonis Aegyptiaca ante oculos habuisset, eum aliter locuturum fuisse, demonstrare non opus est. Accedit quod praeter ea, quae ex Africano et Iosepho cognoscere potuit, nihil ex Aegyptiacis protulit.

Quia autem neque ex ipsis Aegyptiacis hausit, neque semper cum Africano convenit, Boeckhius et Bunsenius putant, ut supra iam monui, ex aliorum excerptis eum Africanum correxisse aut saltem mutasse. Quibus non assentior. Nam Africanus et Eusebius universe non tantum inter se differunt, si relationem excipias de pastorum dominio, ubi hic illum corrupit, ut chronologiae suae Manethonem acco-

---

1) Prolegom. ad Euseb. *Chronic.* »Nihil luculentum, vetustum, excel»lens in eo est, quod non ex Africano deprompserit, cuiusmodi »praestantissimum illud neque satis laudatum Dynastiarum Aegy»ptiacarum monumentum.” Cf. idem in *Annot. ad Graeca Eusebii*, p. 411. et in *Canone Isagog.* p. 279.

modaret, quod iam observavit Syncellus et concedunt praeter Boeckhium omnes. Quod ad numeros annorum, discrimen explicatur partim ex eo, quod Syncellus codice Africani chronographiae usus sit, hic illic diverso ab eo quod viderat Eusebius; partim e librariorum negligentia, partim ex incredibili Eusebii in describendo Africano incuria. Praeterea, si vera sunt quae supra de dynastiis disputavi, explicari vix potest quomodo duo homines, alter alterius opus ignorans, idem plane consilium secuti sint, et, quod magis etiam mirandum, eadem vitia commiserint. Neque Boeckhii et Bunsenii coniectura admitti potest, nisi ponamus Aegyptiaca in plurium manibus fuisse, quam ulla verisimilitudo admittit. Cum Scaligero igitur Eusebii compendio, quoties ab Africano decedit, nihil tribuo; neque totum illius opus ullius pretii aestimo, nisi ad restituendam interdum Africani manum.

Non alienum erit de Syncello, apud quem solum Africani epitome exstat, hoc loco quaedam dicere. Georgius monachus, Tarasii Constantinopolitani patriarchae Syncellus, i. e. concellaneus, anno p. C. N. circiter 800 chronographiam scripsit, quam e variis chronicis, sed praecipue ex Africani et Eusebii operibus, quae illa adhuc aetate exstabant, composuit. Quamvis saepius Manethonem ita citat, quasi ex ipsis Aegyptiacis hausisset, tamen dubitare non licet, quin ea non nisi ex Africano et Eusebio noverit. Testantur hoc, ut minora indicia omittam, quae affert p. 53 D. sq.: *Ἐπειδὴ δὲ τῶν ἀπὸ Μεστραῒμ Αἰγυπτιακῶν ἐτῶν οἱ χρόνοι ἕως Νεκτανεβῶ χρειώδεις τυγχάνουσιν*

ἐν πολλοῖς τοῖς περὶ τὰς χρονικὰς καταγινομένοις ζητήσεις, αὗται δὲ παρὰ Μανεθῶ ληφθεῖσαι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς διαπεφωνημένως κατά τε τὰς αὐτῶν προσηγορίας καὶ τὴν ποσότητα τῶν χρόνων τῆς βασιλείας ἐκδέδονται, ἐπὶ τίνος τε αὐτῶν Ἰωσὴφ ἡγεμόνευσε τῆς Αἰγύπτου, καὶ μετ᾽ αὐτὸν ὁ θεόπτης Μωϋσῆς τῆς τοῦ Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου πορείας ἡγήσατο, ἀναγκαῖον ἡγησάμην δύο τῶν ἐπισημοτάτων ἐκδόσεις ἐκλέξασθαι καὶ ταύτας ἀλλήλαις παραθέσθαι, Ἀφρικανοῦ τέ φημι καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Εὐσεβίου, κτέ. Nemo, ni fallor, negabit Syncellum, si illi Manetho ipse ad manum fuisset, non Africani et Eusebii ἐκδόσεις descripturum, sed potius Aegyptiaca a semet ipso in compendium coacta allaturum fuisse. Praeter Africanum et Eusebium usus est etiam Panodori et Aniani, quinti saeculi monachorum, operibus, qui et ipsi de Aegyptiorum chronologia secundum Manethonem scripserant. Sed hi quoque Aegyptiaca non nisi in Eusebii, fortasse etiam in Africani, compendio viderant, ita ut ex eorum chronographiis nihil novi Syncellus didicerit, et nobis servaverit, praeter coniecturas indignas quae repetantur, quum de incredibili Aegyptiorum chronologia detrahere, eamque ita sacrae scripturae aptiorem reddere conati essent. Memoratur etiam a Syncello vetus quoddam Aegyptiorum chronicon, quod ex Eusebiano compendio a Graeculo aliquo, ante Panodori aetatem, conflatum esse ostendit Boeckhius p. 52 sq.; quocum confer quae Bunsenius I. p. 251, de hac re disputat. Eiusdem pretii est anonymi catalogus regum Aegyptiorum, quem sedulo descripsit Syncellus; ex Eratos-

thenis enim et Manethonis regum nominibus incredibili modo confusis et corruptis eum corrasum esse manifeste ostendit Bunsenius I. p. 263 sq. ita ut de eo silere mihi liceat. Si igitur fragmenta Africani et Eusebii excipias, ad Aegyptiaca restituenda Syncelli chronographia nihil nos iuvat.

Scholiasta Platonis (p. 424 F. Bekk.) *ἐκ τῶν Μανεθῶ Αἰγυπτιακῶν* XVII^am dynastiam affert, iisdem verbis quibus Eusebius, omissa tantum annotatione *κατὰ τοῦτους Αἰγυπτίων βασιλεὺς Ἰωσὴφ δείκνυται*, pro qua aliam habet de anno a rege Saïte sex diebus aucto. Ex hac convenientia et discrepantia Boeckhius p. 116 collegit illum non ex Eusebio hausisse, sed utrumque sua communi fonti debere; quod si verum esset, iniuria Eusebius reprehenderetur, quasi suo arbitrio et sine ullo idoneae auctoritatis fundamento Africanum mutasset. Sed errasse videtur Vir Clarissimus. Nam si scholiastae annotationem Saïti adscriptam cum eo, quod in anonymi catalogo regum (apud Syncell. p. 123 C.) Asethi annotatum est, comparamus [1]), apparet utrumque eiusdem esse naturae et scholiastam hausisse e chronographia aliqua, quae non amplius exstat, Panodori fortasse aut Aniani, quae ad *ἔκδοσιν*

---

[1]) Schol. Plat. haec habet: *ὁ δὲ Σαΐτης προσέθηκε μηνὶ ὥρας ιβ', ὡς εἶναι ἡμερῶν λ', καὶ τῷ ἐνιαυτῷ ἡμέρας ς', καὶ γέγονεν ἡμερῶν τξε'.* Syncellus: *οὗτος (Ἀσήθ) προσέθηκε τῷ ἐνιαυτῷ* (sic leg. pro *τῶν ἐνιαυτῶν*) *τὰς ε' ἐπαγομένας, καὶ ἐπὶ αὐτοῦ, ὥς φασιν, ἐχρημάτισεν τξε' ἡμερῶν ὁ Αἰγυπτιακὸς ἐνιαυτὸς τξ' μόνον ἡμερῶν πρὸ τούτου μετρούμενος.* Utriusque traditionem nullo modo defendi posse certum est, ex iis quae Bunsenius I. p. 271 disputavit.

Eusebii descripta sed annotationibus aucta fuerat. Ergo per Scholiastam Eusebius malae fidei in describendo Africano absolvi nequit. Plures ecclesiae patres, qui Manethonis nomen fando audiverant, eum laudaverunt, quorum testimonia quamvis parum valent, tamen hic describam. Tertullianus Apologet. advers. Gentes, III. p. 639 (edit. Paris. 1566. 8°.): »Reser»vanda antiquissimarum etiam gentium Archiva, Ae»gyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum: advocandi »etiam municipes per quos notitia subministrata est, »aliqui Manethon Aegyptius et Berosus Chaldaeus," etc. Cedrenus p. 10. Syncell. p. 15 D. describens, Manethonem nominat; quibus adde Ioannis Antiocheni et Chronici Alexandrini nugas, iam supra § 2 in fine commemoratas.

Ex iis quae huc usque disputavi de scriptoribus, qui Manethonis fragmenta nobis servaverunt, sponte sequitur duos tantum Iosephum et Africanum ad restituenda Aegyptiaca conducere; Eusebium non nisi ad Africani manum, et Theophilum ad Iosephi confirmandam adhiberi posse; ceteros omnes abiiciendos esse. Quare primo fragmenta secundi libri ab Iosepho servata, deinde compendia Africani et Eusebii, iuxta se invicem posita, proferam.

§ 9.

Aliud Manethonis opus, cui titulus *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας*, memorat Porphyrius de abstin. l. II. c. 55. Cuius argumentum quale fuerit e titulo et e

paucis, quae servata sunt, fragmentis, satis intelligi potest. *Ἀρχαϊσμός* significat *imitationem veterum, omne quod antiquum est; εὐσέβεια pietas* est et *religio.* Et quia in primis in cultu *pietas* apparet, ipse *deorum cultus* interdum voce *εὐσεβείᾳ* significatur. Clemens Alexandrinus e. g., in catalogo librorum Hermeticorum, (Strom. l. VI. p. 268 sq.): *δέκα δὲ (βιβλία) ἐστι τὰ εἰς τὴν τιμὴν ἀνήκοντα τῶν παρ' αὐτοῖς θεῶν, καὶ τὴν Αἰγυπτίαν εὐσέβειαν περιέχοντα, οἷον περὶ θυμάτων, ἀπαρχῶν, ὕμνων, εὐχῶν, πομπῶν, ἑορτῶν καὶ τῶν τούτοις ὁμοίων. — Εὐσέβειαν* h. l. idem fere esse ac *τιμὴν* nemo est, credo, qui neget [1]). Hos decem de cultu deorum apud Aegyptios libros sine dubio Manetho, ut sacerdos, accurate novit, quapropter multa ex iis suo de eodem argumento operi inseruisse verisimillimum est. Quam coniecturam confirmant ea, quae ex illo Manethonis libro refert Porphyrius: nam ad sacrificia pertinent. Eadem quae Porphyrius, Plutarchus quoque e Manethone tradit, de Iside c. 73, unde colligo, quoties in hoc libello Manethonem citat, eum librum *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας* spectare, praesertim quoniam semper loci citati ritus sacros aut

---

1) Eodem titulo, *περὶ εὐσεβείας*, scripsit quoque Theophrastus. Cf. Diogenes Laertius l. V. c. 50. Ex hoc libro hausisse Porphyrium, de abstinentia, demonstravit Ruhnkenius, *Histor. critic. Orat. Graec.* (Rutilii Lupi editioni praefixa) p. LXXXVII sq. Fragmenta inveniuntur apud Porphyr. *de abstin.* l. II. 5, 11, 20, 26. et apud Scholiastam Aristophanis ad Aves, v. 1354 (ubi pro *Θεόπομπος* legendum esse *Θεόφραστος* Ruhnkenius l. l. docuit), in quibus omnibus locis agitur de sacrificiis; vide de Rhoer, *ad Porphyr. de abstin.* l. II. 20, quare libri titulus non *de pietate* sed *de religione* verti debet.

mythologiam illustrant. Praeter locos ubi eum auctorem perhibet saepius Plutarchum de Iside fragmenta ex isto Manethonis opere descripsisse patet ex Aeliano, de natura animal. l. X. c. 16, ubi e Manethone referuntur eadem quae Plutarchus c. 8. narrat, auctoris nomine non apposito [1]). Et quum Manetho, ut testatur Theodoretus Serm. II. de Therapeut. Tom. IV p. 501 D. edit. Sirmond., *περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος καὶ Ἄπιδος καὶ Σαράπιδος καὶ τῶν ἄλλων θεῶν τῶν Αἰγυπτίων ἐμυθολόγησεν* [2]) (in eodem, ni fallor, libro *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας*), facile intelligi potest, quantum ex hoc opere Plutarchus profecerit. Crederem fere omnia quae de Aegyptiorum mythologia et sacris caeremoniis docte disputat, nullo auctoris nomine addito, e Manethone eum hausisse. Eiusdem theologici operis partem fuisse credo libellum *περὶ κατασκευῆς κυφίων*, quem Suidas in vv. *Μαναίθως* et *κῦφι* Manethoni adscribit. *Κῦφι* enim fuit mixtura quaedam in sacris usitata, quae quomodo ex quibus herbis esset miscenda praescribebant *τὰ ἱερὰ γράμματα*, teste Plutarcho de Iside c. 81, qui plura de hoc *μίγματι* tradit, ni fallor, e Manethonis quoque theologico opere. *Τὰ ἱερὰ γράμματα* libri Hermetici sunt, de quibus iam saepius dixi, quorum unum *περὶ θυμάτων* egisse affirmat Clemens Alexandrinus. Ex hoc sacro libro, opinor, Manetho plura transtulerat in suum *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας*

---

1) Post Bochartum, Hierozoïc. p. 699, hoc observavit Bunsenius, I. 96.

2) Cf. Eusebius, Praep. Euang. III. 3. p. 88, ubi narrat Manethonem fusius de diis Aegyptiorum egisse.

opus; quae dispntatio deinde seorsum a reliquis descripta et edita est. Laudatur praeterea Manethonis *φυσικῶν ἐπιτομή* a Diogene Laertio, prooem. sect. 10 [1]). Quae vero ex isto Manethonis libro proferuntur, egregie consentiunt cum iis, quae eadem de re Plutarchus, de Iside, exponit ex auctore quem non nominat, fortasse e Manethone. Librum tamen, cui titulus *φυσικῶν ἐπιτομή*, hunc scripsisse vix credo, et verisimilius arbitror etiam physica Aegyptiorum in opere *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας* explicata fuisse. Tandem Eustathius et auctor Etymologici Magni Manethonem citant *ἐν τῷ* vel *ἐν τοῖς πρὸς Ἡρόδοτον.* Neque eiusmodi librum eum edidisse censent Fabricius, Biblioth. Graec. l. III. c. 20, et Boeckhius, p. 179, quibus facile assentior, praesertim quoniam eadem quae Eustathius de leone e Manethonis *πρὸς Ἡρόδοτον* refert, Aelianus de natura animalium l. V. c. 39. Aegyptios narrare tradit. Multa autem quae Aegyptios credere narrat Aelianus, e libro theologico Manethonis desumta sunt. Ingeniose porro Bunsenius, I. p. 100, coniecit aliquem recentioris aevi grammaticum e Manethonis operibus, in quibus saepius reprehendebatur Herodotus, omnes eiusmodi refutationes excerpsisse, et in unum libellum collegisse, quem inscripsit *Μανεθῶ βίβλος πρὸς Ἡρόδοτον.*

Statuo igitur duo tantum opera Manethonem scripsisse, quorum alterum Aegyptiorum historiam chro-

---

[1]) Manethonis *φυσιολογικά* laudat quoque Suidas v. *Μανέθως.* Utrum eadem sint ac *φυσικῶν ἐπιτομή* nec ne, diiudicare non audeo.

nologicam, alterum omnem huius populi antiquitatem et religionem continuerit; huius porro, quoniam diversa argumenta tractaret, volumina et capita seorsum a librariis transscripta et edita fuisse, aliud *περὶ κυφίων κατασκευῆς*, aliud *φυσικῶν ἐπιτομή*, alia aliter inscripta. In conscribendo theologico opere Manetho iisdem fere fontibus usus esse videtur, ex quibus Aegyptiaca eum hausisse vidimus, omnibus nempe libris hieratice scriptis, quot cognoverit. Sed *ἀναγραφαί*, quibus historia chronologica maximam partem subnixa erat, de religione et antiquitate nihil fere docebant; Hermetici autem libri, qui parvam tantum materiam historiae attulerant, praecipuus operis *περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας* fons habendi sunt. Si pauca, quae ad nos pervenerunt, fragmenta accurate spectamus, non possumus dubitare, quin omnia prope e libris XLII Mercurii derivata sint.

Quare multo maioris pretii quam Aegyptiaca hoc opus nobis fuisset, ex quo nempe solo librorum Hermeticorum interitus compensus fuisset.

Fragmenta quae supersunt, ea etiam quae sine auctoris nomine apud Plutarchum et Aelianum latere mihi videntur, post Aegyptiacorum reliquias ordine exponam. De scriptoribus qui nobis ea servaverunt, pauca tantum monenda videntur. Iam supra observavi ante Domitianum neminem Manethonis opus theologicum laudavisse; primus quem illo usum esse constat Plutarchus est, in libello de Iside et Osiride. Sine dubio Romae, ubi diu degit, notitiam Manethonis operum accepit. Neque alibi illa invenit Aelia-

nus, qui Italiae fines vix unquam egressus est [1]); deinde commemorarunt Diogenes Laertius, Porphyrius, alii; sed quia semel tantum Manethonem laudant, pro certo affirmare non possumus, utrum ipsi illius opera viderint, an ex alio tantum scriptore cognoverint.

Haec habui, quae de Manethonis vita et scriptis, ut fragmenta melius intelligantur, praemonerem.

---

1) »Philostratus, *de Sophist.* p. 618, testatur ipsum Aelianum de se »praedicasse, quod nunquam navem conscenderit, neque mare no»verit, neque usquam profectus sit ultra fines Italiae. At ipse Aelia»nus auctor est fuisse se Alexandriae, XI ultim. de animal.” Fabricius *Bibl. Graec.* l. IV. c. 21.

His iam prelo traditis, perlata ad me est dissertatio Engelstoftii, de *historia populi Iudaici Biblica, ad relationes peregrinas examinata et digesta. Hauniae* 1832. Cuius libelli videndi cupidus eram propter ea, quae Hengstenbergius p. 258 ex eo attulerat, quaeque p. XXX descripsi. Neque exspectationem eventus fefellit; nam plura eum recte de Manethone exposuisse vidi, et laetus cognovi divisionem in dynastias eum Manethoni quoque abiudicavisse, cuius opinionis me esse auctorem putaveram.

MANETHONIS AEGYPTIACORUM
FRAGMENTA.

E Libro Secundo.

(apud Iosephum contra Apionem l. I. c. 14, 15 et 26, 27 [1])).

[2]) Ἐγένετο [3]) βασιλεὺς, *ΗΜΙΝΤΙΜΑΟΣ* [4]) ὄνομα· ἐπὶ τούτου οὐκ οἶδ' ὅπως ὁ θεὸς ἀντ-

1) Universe sequor editionem Havercampianam, quia in nova, quam curat Dindorfius, libri contra Apionem nondum prodierunt. Neque huius editionem exspectandam censui, quia textus Graecus non adeo corruptus est, si tres vel quatuor locos excipias, quibus tamen e codicibus medicinam afferri posse despero. — Praeter codd. Iosephi adhibui quoque Eusebii excerpta e libro c. A., quae inveniuntur in Praep. Euang. L. X. c. 13, et in Chron. L. I. c. 21, vers. Armen. Observandum est codicem, quo utebatur Eusebius, eiusdem esse familiae atque Hafniensem, cuius varias lectiones annotavit Havercampius. Sed Hafniensis, ut videtur, cum codice alius familiae a librario collatus, indeque passim emendatus est, partim corruptus. Eusebianus codex pluribus mendis vulgati textus immunis est, sed aliis contra laborat. E prudenti et accurata collatione vera lectio saepius procedit.

2) Ipsa Manethonis verba sequuntur. Nam Iosephus, παραθήσομαι, inquit, τὴν λέξιν αὐτοῦ, καθάπερ αὐτὸν ἐκεῖνον παραγαγὼν μάρτυρα.

3) Abruptum initium est; e scribendi Manethonis more sic restituendum: μεθ' οὓς, vel μεθ' ὃν ἐγένετο κτέ.

4) Codd. ἡμῖν Τίμαος, sive ἡμῖν Τίμαιος, quod manifeste corruptum, nam ἡμῖν respuit Manethonis loquendi ratio, qui semper *Aegyptum* et *Aegyptios* dicit, nunquam prima persona utitur. Ingeniose Bunsenius coniecit *ΑΜΥΝΤΙΜΑΙΟΣ*, sed neque hoc a Iosepho, saltem non a Manethone, scriptum esse arbitror. Via, quam monstravit Bunsenius, procedens, scripsisse Iosephum puto *ΑΜΕΝΕΜΑΟΣ*, Manethonem vero *ΑΜΕΝΕΜΗΣ*. Argumenta, quibus fido, in annotatione exponam. Apud Eusebium in Chronici versione legi-

ἔπνευσεν, καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν ἄνθρωποι, τὸ γένος ἄσημοι, καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἐστράτευσαν [1]), καὶ ῥᾳδίως ἀμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον· καὶ τοὺς ἡγεμονεύσαντας ἐν αὐτῇ χειρωσάμενοι, τὸ λοιπὸν τάς τε πόλεις ὠμῶς ἐνέπρησαν, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν. πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότατά πως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τῶν δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες· πέρας δὲ καὶ βασιλέα ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐποίησαν, ᾧ ὄνομα ἦν ΣΑΛΑΤΙΣ· [2]) καὶ οὗτος ἐν Μέμφιδι κατεγίνετο, τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν δασμολογῶν, καὶ φρουρὰν ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις καταλείπων τόποις· μάλιστα δὲ καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὴν ἠσφαλίσατο μέρη, προορώμενος Ἀσσυρίων, τότε [3]) μεῖζον ἰσχυόντων, ἐσομένην ἐπιθυμίαν τῆς αὐτῆς βασιλείας ἐφόδου. Εὑρὼν δὲ ἐν νομῷ τῷ Σεθροΐτῃ [4]) πόλιν ἐπικαιροτά-

tur....... *pretiosum nomine* (vitio interpretis, qui τίμιον adiectivum esse putavit); in Praep. Euang. et in cod. Hafn........ **τοῦ Τίμαιος** ὄνομα, omissis vocabulis ἐγένετο βασιλεὺς ἡμῖν.

1) Sic in cod. Hafn. et in Euseb. vulgo ἀνεστράτευσαν.

2) *Siltis* Arm. vers. Eusebii. — *Saltis* vetus Iosephi interpres.

3) Codd. ποτέ; correxit Perizonius, Orig. Aeg. p. 430; quam emendationem confirmat Euseb. vers. Arm., quae habet *ea tempestate.*

4) Codd. Σαΐτῃ. Bernardus primus ex Africano apud Syncellum correxit Σεθροΐτῃ, quod probat vers. Arm. quae *Methraite* habet. Hoc non curans Hengstenbergius p. 239 vitiosam lectionem retinet, unde deducit Manethonem chorographiae Aegypti imperitum, et propterea non sacerdotem Philadelphi aequalem fuisse.

την, κειμένην μὲν πρὸς ἀνατολὴν τοῦ Βουβαστίτου ποταμοῦ, καλουμένην δ᾽ ἀπὸ τῆς [1]) ἀρχαίας θεολογίας Αὔαριν [2]), ταύτην ἔκτισέν τε καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν, ἐνοικίσας αὐτῇ καὶ πλῆθος ὁπλιτῶν, εἰς εἴκοσι καὶ τέσσαρας μυριάδας ἀνδρῶν, πρὸς φυλακήν. Ἐνθάδε κατὰ θέρειαν ἤρχετο, τὰ μὲν σιτομετρῶν καὶ μισθοφορίαν παρεχόμενος, τὰ δὲ καὶ ταῖς ἐξοπλισίαις πρὸς φόβον τῶν ἔξωθεν ἐπιμελῶς γυμνάζων. ἄρξας δὲ ἐννεακαίδεκα [3]) ἔτη τὸν βίον ἐτελεύτησεν. Μετὰ τοῦτον δὲ ἕτερος ἐβασίλευσεν τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα [4]) ἔτη καλούμενος ΒΗΩΝ [5]). Μεθ᾽ ὃν ἄλλος ΑΠΑΧΝΑΣ ἓξ καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ μῆνας ἑπτά. Ἔπειτα δὲ καὶ ΑΠΩΦΙΣ [6]) ἓν καὶ ἑξήκοντα, καὶ ΙΑΝΝΑΣ [7]) πεντήκοντα καὶ μῆνα ἕνα. Ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ ΑΣΣΙΣ [8]) ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα καὶ μῆνας δύο. Καὶ οὗτοι μὲν ἓξ ἐν αὐτοῖς ἐγενήθησαν πρῶτοι

[1]) Havercampius, quem sequitur Bunsenius, cum Bigotio et Vet. Interpr. legit *ἀπό τινος ἀρχ. θεολ.*; sed codd. omnes *ἀπὸ τῆς ἀ. θ.*, quam lectionem ipse Manetho defendit, nam in altero fragmento dicit: *ἔστι δ᾽ ἡ πόλις κατὰ τὴν θεολογίαν ἄνωθεν Τυφῶνος.* Vers. Arm. *ex antiqua quadam theologia* habet, siquidem Armeniaca recte verterit Maius.

[2]) Alii perperam *Ἄβαριν.*

[3]) Vers. Arm. XV.

[4]) Vers. Arm. XLIII.

[5]) Sic codd.; vers. Arm. *Banon.* Utrum praestet incertum.

[6]) Vers. Arm. male *Aphosis.*

[7]) Ita cod. Hafn.; vers. Arm. *Anan.*

[8]) Vers. Arm. *Assethus*; Vet. Interpr. *Ases.*

ἄρχοντες, πολεμοῦντες ἀεὶ [1]) καὶ ποθοῦντες μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν [2]). Ἐκαλεῖτο δὲ τὸ σύμπαν αὐτῶν [3]) ἔθνος ΥΚΣΩΣ [4]), τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες· τὸ γὰρ ΥΚ καθ' ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ ΣΩΣ [5]) ποιμήν ἐστι καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον, καὶ οὕτω συντιθέμενον γίνεται ΥΚΣΩΣ. Τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι [6]), ἐν δ' ἄλλῳ ἀντιγράφῳ οὐ βασιλεῖς σημαίνεσθαι διὰ τῆς τοῦ ΥΚ [7]) προςηγορίας, ἀλλὰ τοὐναντίον αἰχμαλώτους δηλοῦσθαι ποιμένας· τὸ γὰρ ΥΚ πάλιν Αἰγυπτιαστὶ [8]) καὶ τὸ ΑΚ δασυνόμενον αἰχμαλώτους ῥητῶς μηνύει· καὶ τοῦτο μᾶλλον πιθανώτερόν μοι φαίνεται καὶ παλαιᾶς ἱστορίας ἐχόμενον.

Τούτους [9]) δὲ τοὺς προκατωνομασμένους βασιλέας

1) Ita Big. Hafn. Vet. Interpr. et Vers. Arm. Ante Haverc. legebatur ποθοῦντες ἀεὶ καὶ μᾶλλον.

2) Perperam Bunsenius sequentia non ipsius Manethonis verba esse putat, sed Iosephi, qui Manethonem excerpserit. Cuius opinio quare improbanda sit in annotatione explicabo.

3) Verba σύμπαν αὐτῶν ex Eusebio in textum recepit Havercampius, nescio an recte.

4) Ὑκουσσώς Euseb. hic et infra.

5) Οὐσσώς Euseb.

6) Pessime post εἶναι punctum omnes ponunt, quo facto sequentia misere claudicant. Perperam quoque a verbis ἐν δ' ἄλλῳ ἀντιγράφῳ Iosephum loqui incipere vulgo statuunt. Vide annotationem.

7) Ὑκουσσώς Euseb.

8) Male Big. et Hafn. ἀλλὰ τοὐναντίον βασιλεῖς αἰχμαλώτους δηλοῦσθαι ἢ ποιμένας.

9) Sequentia non amplius Manethonis verba esse sed Iosephi arguit verbum φησί.

τοὺς [1]) τῶν ποιμένων καλουμένων καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γενομένους κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου φησὶν ἔτη πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἕνδεκα. μετὰ ταῦτα δὲ τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτου βασιλέων γενέσθαι φησὶν ἐπὶ τοὺς ποιμένας ἐπανάστασιν, καὶ πόλεμον αὐτοῖς [2]) συῤῥαγῆναι μέγαν καὶ πολυχρόνιον. ἐπὶ δὲ βασιλέως, ᾧ ὄνομα εἶναι ΜΕΦΡΑΤΟΥΘΜΩΣΙΣ [3]) ἡττωμένους φησὶ τοὺς ποιμένας ὑπ' αὐτοῦ [4]) ἐκ μὲν τῆς ἄλλης Αἰγύπτου πάσης ἐκπεσεῖν, κατακλεισθῆναι δ' εἰς τόπον ἀρουρῶν ἔχοντα μυρίων τὴν περίμετρον· Αὔαριν ὄνομα τῷ τόπῳ. Τοῦτον φησὶν ὁ Μανεθὼν ἅπαντα τείχει τε μεγάλῳ καὶ ἰσχυρῷ περιβαλεῖν τοὺς ποιμένας, ὅπως τήν τε κτῆσιν ἅπασαν ἔχωσιν ἐν ὀχυρῷ καὶ τὴν λείαν τὴν ἑαυτῶν. Τὸν δὲ Μεφρατουθμώσεως υἱὸν ΘΟΥΘΜΩΣΙΝ [5]) ἐπιχειρῆσαι μὲν αὐτοὺς διὰ πολιορκίας ἑλεῖν κατὰ κράτος ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα μυριάσι προςεδρεύσαντα τοῖς τείχεσιν· ἐπεὶ δὲ τῆς πολιορκίας ἀπέγνω, ποιήσασθαι συμβάσεις, ἵνα τὴν Αἴγυπτον ἐκλιπόντες ὅποι βούλονται πάντες ἀβλαβεῖς ἀπέλθωσι. τοὺς δὲ ἐπὶ ταῖς ὁμολογίαις πανοικεσίᾳ μετὰ

[1]) Perperam Euseb. et Hafn. καὶ τοὺς τῶν π. Non opponuntur enim οἱ τῶν ποιμένων βασιλεῖς et οἱ ἐξ αὐτῶν γενόμενοι, sed οἱ προκατωνομασμένοι et οἱ ἐξ αὐτῶν γενόμενοι.

[2]) Vocem αὐτοῖς non agnoscit Eusebius.

[3]) Sic e coniectura restitui, quia e certis indiciis constat ita revera scripsisse Manethonem. Vulgo legitur ΑΛΙΣΦΡΑΓΜΟΥΘΩΣΙΣ, quod misere corruptum. Melius codd. infra ΜΕΦΡΑΜΟΥΘΩΣΙΣ, ubi prima pars nominis recte se habet. Eusebius Praep. Euang. legit ΜΙΣΦΡΑΓΟΥΘΩΣΙΣ, ubi Γ corruptum e Τ; quo correcto habemus ΜΕΦΡΑΤΟΥΘΩΣΙΣ, pro quo ex analogia nominis ΤΟΥΘΜΩΣΙΣ scribendum ΜΕΦΡΑΤΟΥΘΜΩΣΙΣ.

[4]) Euseb. ποιμένας, καὶ ἐκ μὲν τῆς ἄλλης.

[5]) Scripsit, ni fallor, Manetho ΤΟΥΘΜΩΣΙΣ. Vulgo ΘΟΥΜΜΩΣΙΝ, Arm. *Thoutmosin*, Euseb. ΘΜΟΥΘΩΣΙΝ.

τῶν κτήσεων [1]) οὐκ ἐλάττους μυριάδων ὄντας εἴκοσι καὶ τεσσάρων ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου τὴν ἔρημον εἰς Συρίαν ὁδοιπορῆσαι. φοβουμένους δὲ τὴν Ἀσσυρίων δυναστείαν, τότε γὰρ ἐκείνους τῆς Ἀσίας κρατεῖν, ἐν τῇ νῦν Ἰουδαίᾳ καλουμένῃ πόλιν οἰκοδομησαμένους τοσαύταις μυριάσιν ἀνθρώπων ἀρκέσουσαν Ἱεροσόλυμα ταύτην ὀνομάσαι [2]).

1) Bunsenius e coniectura legit *κτήνεων;* sed mutatione non opus est, *κτήσεις* plur. num. saepius sic ponitur. Neque coniecturam vers. Arm. confirmat, ut opinatur Bunsenius, vertens *cum armentis et familiis omnique re sua*, nam *cum armentis et familiis* idem est quod *πανοικεσίᾳ*.

2) Addit Iosephus: Ἐν ἄλλῃ δέ τινι βίβλῳ τῶν Αἰγυπτιακῶν Μανεθὼν τοῦτό φησιν ἔθνος, τοὺς καλουμένους ποιμένας, αἰχμαλώτους ἐν ταῖς ἱεραῖς αὐτῶν βίβλοις γεγράφθαι· λέγων ὀρθῶς. καὶ γὰρ τοῖς ἀνωτάτω προγόνοις ἡμῶν τὸ ποιμαίνειν πάτριον ἦν, καὶ νομαδικὸν ἔχοντες τὸν βίον, οὕτως ἐκαλοῦντο ποιμένες. αἰχμάλωτοί τε πάλιν οὐκ ἀλόγως ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων ἀνεγράφησαν, ἐπειδή περ ὁ πρόγονος ἡμῶν Ἰώσηπος ἑαυτὸν ἔφη πρὸς τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων αἰχμάλωτον εἶναι, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς εἰς τὴν Αἴγυπτον ὕστερον μετεπέμψατο, τοῦ βασιλέως ἐπιτρέψαντος. Quae verba in textu omisi, quia novum fragmentum Aegyptiacorum non continent. Locum vulgo male capiunt, quamobrem paulo accuratius eum spectemus. Quomodo, ut nunc se habet, eum ferre potuerint omnes interpretes non intelligo, nam haud dubie corruptus est. Primo Aegyptiaca in tres tantum libros divisa erant; ita ut Iosephus, si alium ac secundum librum designare voluisset, non scripsisset ἐν ἄλλῃ τινὶ βίβλῳ τ. Α., sed, ni fallor, ἐν πρώτῃ aut ἐν τρίτῳ. Praeterea e conspectu operis ab Africano servato patet, neque in primo neque in tertio Aegyptiacorum volumine etymologiam nominis *Hycsos* a Manethone explicatam esse posse, nam omnia quae ad invasionem et dominationem pastorum pertinent *secundum* volumen exponebat. Et revera in *secundo* libro eadem nominis *Hycsos* derivatio inveniebatur, quae quasi ex alio quodam libro hic affertur. Supra enin Manethonem Iosephus induxerat dicentem secundum alios hycsos significare *reges pastores*, secundum alios οὐ βασιλεῖς σημαίνεσθαι διὰ τῆς τοῦ ΥΚ προσηγορίας ἀλλὰ τοὐναντίον αἰχμαλώτοις δηλοῦσθαι ποιμένας. Neque verisimile est eadem bis eum attulisse. Con-

(Cap. 15). *Μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τὸν λαὸν τῶν ποιμένων εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ ἐκβαλὼν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου βασιλεὺς ΤΕΘΜΩΣΙΣ* [1]) *ἐβασίλευσεν μετὰ ταῦτα ἔτη εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἐτελεύτησεν, καὶ παρέλαβε τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ υἱὸς ΧΕΒΡΩΝ ἔτη δεκατρία· μεθ' ὃν ΑΜΕΝΩΦΙΣ εἴκοσι καὶ μῆνας ἑπτά. τοῦ δὲ ἀδελφὴ ΑΜΕΣΣΗΣ* [2]) *εἰκοσιὲν καὶ μῆνας ἐννέα. τῆς δὲ ΜΗΦΡΗΣ* [3]) *δώδεκα καὶ μῆνας ἐννέα. τοῦ δὲ ΜΕΦΡΑΜΟΥΘΩΣΙΣ* [4]) *εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας δέκα* [5]). *τοῦ δὲ ΘΜΩΣΙΣ* [6]) *ἐννέα καὶ μῆνας ὀκτώ. τοῦ δὲ ΑΜΕΝΩΦΙΣ τριάκοντα καὶ μῆνας δέκα. τοῦ δὲ*

stat igitur verba *ἐν ἄλλῃ δέ τινι βίβλῳ τῶν Αἰγυπτιακῶν* corrupta esse. Ipsa res et nexus loci docet Iosephum, postquam Manethonis verba partim descripserat partim excerpserat, nunc tandem explicare huius relationes cum sacris Hebaeorum libris bene convenire. Primum igitur nunc repetit Manethonem affirmasse hycsos fuisse *pastores captivos*, quo facto e sacra scriptura demonstrat Iudaeos fuisse *pastores*, et recte ab Aegyptiis nominari posse *captivos*. Unde dubium non est, quin Iosephus eiusmodi quid scripserit: *ἐν ἄλλῃ δέ τινι βίβλῳ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις* (i. e. quod Manetho supra vocat *ἐν δὲ ἄλλῳ ἀντιγράφῳ*) *Μανεθὼν τοῦτό φησιν τὸ* (articulus abesse non potest) *ἔθνος, τοὺς καλουμένους ποιμένας αἰχμαλώτους [ἐν ταῖς ἱεραῖς αὐτῶν βίβλοις] ἀναγεγράφθαι* (*ἀναγράφεσθαι* hoc sensu requiritur). Doctissimus Leemans, quem de hoc loco consului, locum corruptum esse mecum censet, sed paulo aliter eum corrigendum putat, hoc modo *ἐν ἄλλῳ δέ τινι ἀντιγράφῳ Μανεθὼν τοῦτο τὸ ἔθνος, τοὺς καλουμένους ποιμένας, αἰχμαλώτους ἐν ταῖς ἱεραῖς αὐτῶν βίβλοις ἀναγεγράφθαι λέγων, ὀρθῶς λέγει. καὶ γὰρ κτέ.*

1) Sic scripsisse videtur Iosephus; Manethonis verba eum non accurate retulisse in annotatione ostendam.

2) Vers. Arm. perperam *Amensis.*

3) Manetho, ni fallor, scripserat *ΜΗΧΕΡΗΣ.*

4) Vers. Arm. *Mephrathmuthosis.* Scripserat Manetho, ut supra, *ΜΕΦΡΑΤΟΥΘΜΩΣΙΣ.*

5) Vers. Arm. *mensibus IX.*

6) Vers. Arm. *Themothosis.*

ΩΡΟΣ τριακονταὲξ καὶ μῆνας πέντε [1]). τοῦ δὲ θυγάτηρ *ΑΚΕΓΧΕΡΗΣ* [2]) δώδεκα καὶ μῆνα ἕνα. τῆς δὲ *ΡΑΘΩΤΙΣ* ἀδελφὸς [3]) ἐννέα. [τοῦ δὲ *ΑΚΕΓΧΗΡΗΣ* [4]) δώδεκα καὶ μῆνας πέντε. τοῦ δὲ *ΑΚΕΓΧΗΡΗΣ* ἕτερος δώδεκα καὶ μῆνας τρεῖς.] [5]) τοῦ δὲ *ΑΡΜΑΙΣ* τέσσαρα καὶ μῆνα ἕνα. τοῦ δὲ *ΡΑΜΕΣΣΗΣ* ἓν καὶ μῆνας τέσσαρας [6]). τοῦ δὲ *ΡΑΜΕΣΣΗΣ ΜΙΑΜΜΟΥ* [7]) ἑξηκονταὲξ καὶ μῆνας δύο. τοῦ δὲ *ΑΜΕΝΩΦΙΣ* δέκα καὶ ἐννέα καὶ μῆνας ἕξ. τοῦ δὲ *ΣΕΘΩΣΙΣ*, καὶ *ΡΑΜΕΣΣΗΣ* [8]) ἱππικὴν καὶ ναυτικὴν ἔχων δύναμιν. οὗτος τὸν

1) Vers. Arm. *annis XXXVIII et mensibus VII.*

2) Vers. Arm. *Chencheres*, Hafn. *Ἀκεγχερής*, Big. *Ἀχεγχερής*; legendum videtur *ΑΤΕΓΧΕΡΗΣ*. Vide annotationem.

3) Scripsit, ni fallor, Manetho *ΑΘΩΣ*, *ἀδελφή*, quod corruptum in *Athosis*, quod habet Vers. Arm. in *Ρωθῶς*, quod aliquot codd. et in *Ράθωθις*, quod vulgo legitur.

4) Vers. Arm. *Chencheres*, et mox pro *Ἀκεγχήρης ἕτερος Achencheres.*

5) Quamvis haec nomina in omnibus codd. exstant, et iam legerunt Africanus et Eusebius, tamen eiicienda sunt. Nam inepta repetitio nominis reginae, Hori filiae, sunt, cui idem quoque annorum numerus adscriptus est. In Theophili excerpto ex Iosepho legitur (p. 207 ed. Gesner. 1615): ... *Ὦρος ἔτη λε' μῆνας πέντε. τούτων* (leg. *τούτου* e codd. vide Boeckhium, p. 254) *δὲ θυγάτηρ ἔτη ι' μῆνας γ'. μετὰ δὲ ταύτην Μερχερὴς ἔτη ιβ' μῆνας γ'. τοῦ δὲ Ἀρμαῖς κτέ.* Fortasse scripserat Theophilus *τούτου δὲ θυγάτηρ Ἀκεγχήρης ἔτη ιβ' μῆνας γ'. μετὰ δὲ ταύτην Ῥάθωθις ἔτη ι' μῆνας γ'. τοῦ δὲ Ἀρμαῖς κτέ.* Unde pateret neque Theophilum duo spuria nomina, quae uncis inclusi, in Iosepho vidisse. Sed vide Boeckhium p. 254. Monumenta antiqua duos huius nominis reges non agnoscunt.

6) Verba *τοῦ δε Ῥαμέσσης ἓν καὶ μῆνας τέσσαρας* in vers. Arm. omissa sunt, neque negligentia librarii, sed ea non in suo exemplari legerat Eusebius, ut ex huius dynastiae XVIII^ae recensione apparet. Attamen genuina sunt, et monumentis confirmantur. Transponenda vero huius regis et Armaïos nomina.

7) Sic Vers. Arm. Vulgo codd. *Ἀρμέσσης*, quod non ferendum; pro *ΜΙΑΜΜΟΥ* Manetho scripsit *ΜΙΑΜΟΥΝ*.

8) Locus manifeste corruptus, quem librarii et editores variis modis sed

μὲν ἀδελφὸν ΑΡΜΑΙΝ ἐπίτροπον τῆς Αἰγύπτου κατέστησεν, καὶ πᾶσαν μὲν αὐτῷ τὴν ἄλλην βασιλικὴν περιέθηκεν ἐξουσίαν, μόνον δὴ ἐνετείλατο διάδημα μὴ φορεῖν, μηδὲ τὴν βασιλίδα μητέρα τε τῶν τέκνων ἀδικεῖν, ἀπέχεσθαι δὲ καὶ τῶν ἄλλων βασιλικῶν παλλακίδων. αὐτὸς δὲ ἐπὶ Κύπρον καὶ Φοινίκην καὶ πάλιν Ἀσσυρίους τε καὶ Μήδους στρατεύσας, ἅπαντας, τοὺς μὲν δόρατι, τοὺς δὲ ἀμαχητὶ, φόβῳ δὲ τῆς πολλῆς δυνάμεως, ὑποχειρίους ἔλαβε, καὶ μέγα φρονήσας ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις ἔτι καὶ θαρσαλεώτερον ἐπορεύετο, τὰς πρὸς ἀνατολὰς πόλεις τε καὶ χώρας καταστρεφόμενος. Χρόνου δὲ ἱκανοῦ ἐγγεγονότος [1]) Ἁρμαῒς ὁ καταλειφθεὶς ἐν Αἰγύπτῳ πάντα τοὔμπαλιν οἷς ἀδελφὸς παρῄνει μὴ ποιεῖν ἀδεῶς ἔπραττεν [2])· καὶ γὰρ τὴν βασιλίδα βιαίως ἔσχεν, καὶ ταῖς ἄλλαις παλλακίσιν ἀφειδῶς διετέλει χρώμενος. πειθόμενος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων διάδημα ἐφόρει καὶ ἀντῆρε

omnes frustra, corrigere conati sunt: vertit Armenius *Sethosis idemque Ramesses;* quem secuti Maius et Bunsenius legunt Σέθωσις ὁ καὶ Ῥαμέσσης; margini Codd. Big. et Hafn. haec nota apposita est: εὕρεται ἐν ἑτέρῳ ἀντιγράφῳ οὕτως· μεθ᾽ ὃν Σέθωσις καὶ Ῥαμέσσης δύο ἀδελφοί· ὁ μὲν ναυτικὴν ἔχων δύναμιν τοὺς κατὰ θάλασσαν ἀπαντῶντας διεχειροῦτο πολιορκῶν· μεθ᾽ οὐ πολὺ δὲ τὸν Ῥαμέσσην ἀνελὼν Ἁρμαῒν, ἄλλον αὐτοῦ ἀδελφόν, ἐπίτροπον τῆς Αἰγύπτου κατέστησεν. Equidem arbitror ordinem posteriorum sex regum a librariis omnino esse turbatum: constat enim ex hoc et sequenti fragmento Armain et Sethon e Manethonis expositione fuisse fratres, inter quos, ut nunc textus se habet, tres reges enumerantur. Sed praeter nomina reliqua quoque adeo sunt corrupta, ut restitui ea non amplius posse censeam.

1) Sic correxi e constanti Graecorum usu loquendi; codd. γεγονότος.

2) Vitiosa constructio, in Graeco scriptore non ferenda, neque, credo, in Iosepho. Scribendum erat: πάντα τοὔμπαλιν οἷς (vel rectius ἢ) ἀδελφὸς παρῄνει ἀδεῶς ἔπραττεν, vel πάντα ἃ μὴ ποιεῖν ἀδελφὸς παρῄνει ἀδεῶς ἔπραττεν.

τῷ ἀδελφῷ. ὁ δὲ τεταγμένος ἐπὶ τῶν ἱερῶν [1]) τῆς Αἰγύπτου γράψας βιβλίον ἔπεμψε τῷ Σεθώσει, δηλῶν αὐτῷ πάντα καὶ ὅτι ἀντῆρεν ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἀρμαΐς. Παραχρῆμα οὖν ὑπέστρεψεν εἰς Πηλούσιον, καὶ ἐκράτησεν τῆς ἰδίας βασιλείας. ἡ δὲ χώρα ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος Αἴγυπτος· λέγει γάρ, ὅτι ὁ μὲν Σέθωσις [2]) ἐκαλεῖτο Αἴγυπτος, Ἀρμαΐς δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δαναός.

(Cap. 26.) [3]) .... ὁ γὰρ Μανεθων οὗτος ὁ τὴν Αἰγυπτιακὴν ἱστορίαν ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων μεθερμηνεύειν ὑπεσχημένος, προειπὼν τοὺς ἡμετέρους προγόνους πολλαῖς μυριάσιν ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἐλθόντας κρατῆσαι τῶν ἐνοικούντων, εἶτ᾽ αὐτὸς ὁμολογῶν χρόνῳ πάλιν ὕστερον ἐκπεσόντας τὴν νῦν Ἰουδαίαν κατασχεῖν, καὶ κτίσαντας Ἱεροσόλυμα τὸν νεὼ κατασκευάσασθαι, μέχρι μὲν τούτων ἠκολούθησε ταῖς ἀναγραφαῖς· ἔπειτα δὲ δοὺς ἐξουσίαν αὑτῷ, διὰ τοῦ φάναι γράψειν τὰ μυθευόμενα καὶ λεγόμενα περὶ τῶν Ἰουδαίων, λόγους ἀπιθάνους παρενέβαλεν [4]), ἀναμῖξαι βουλόμενος ἡμῖν Αἰγυπτίων πλῆθος λεπρῶν καὶ ἐπὶ ἄλλοις ἀρρωστήμασιν, ὥς φησι, φυγεῖν ἐκ τῆς Αἰγύπτου καταγνωσθέντων. ΑΜΕΝΩΦΙΝ γὰρ βασιλέα προςθεὶς, ψευδὲς ὄνομα, καὶ διὰ τοῦτο χρόνον αὐτοῦ τῆς βασιλείας ὁρίσαι μὴ τολμήσας, καίτοι γε ἐπὶ τῶν ἄλλων βασιλέων ἀκριβῶς τὰ ἔτη προςτιθεὶς, τούτῳ

1) Ita cum Vet. Interpr. legunt Havercampius et Bunsenius: ἐπὶ τῶν ἱερέων in Graecis; vers. Arm. *qui rebus sacris praeerat.*

2) Σάθως Big.

3) Iosephi verba, quae sequuntur, attuli, quoniam iis omissis Manethoniana non recte intelligi possunt. Dolendum est quod hoc alterum fragmentum non ex Iosepho transscripsit Eusebius.

4) Sic e cod. Hafn. Haverc. restituit. Antea legabatur παρέβαλεν.

προςάπτει τινὰς μυθολογίας, ἐπιλαθόμενος [1]) σχεδὸν, ὅτι πεντακοσίοις ἔτεσι καὶ δεκαοκτὼ πρότερον ἱστόρηκε γενέσθαι τὴν τῶν ποιμένων ἔξοδον εἰς Ἱεροσόλυμα. ΤΕΘΜΩΣΙΣ γὰρ ἦν βασιλεὺς, ὅτε ἐξῄεσαν· ἀπὸ δὲ τούτων μεταξὺ τῶν βασιλέων κατ' αὐτόν ἐστι τριακόσια ἐνενηκοντατρία ἔτη [2]) μέχρι τῶν δύο ἀδελφῶν ΣΕΘΩ καὶ ΕΡΜΑΙΟΥ [3]), ὧν τὸν μὲν Σέθων Αἴγυπτον, τὸν δὲ Ἕρμαιον [4]) Δαναὸν μετονομασθῆναί φησιν. ὃν ἐκβαλὼν ὁ Σέθως ἐβασίλευσεν ἔτη ΝΘ, καὶ μετ' αὐτὸν ὁ πρεσβύτερος τῶν υἱῶν αὐτοῦ ΡΑΜΨΗΣ Ξς. Τοσούτοις οὖν πρότερον ἔτεσιν ἀπελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τοὺς πατέρας ἡμῶν ὡμολογηκὼς, εἶτα τὸν ΑΜΕΝΩΦΙΝ εἰςποιήσας ἐμβόλιμον βασιλέα, φησὶ τοῦτον ἐπιθυμῆσαι θεῶν γενέσθαι θεατήν, ὥςπερ ΩΡΟΣ [5]), εἷς τῶν πρὸ αὐτοῦ βεβασιλευκότων· ἀνενεγκεῖν δὲ τὴν ἐπιθυμίαν ὁμωνύμῳ μὲν αὐτῷ Ἀμενώφει, πατρὸς δὲ Παάπιος [6]) ὄντι, θείας δὲ δοκοῦντι μετεσχηκέναι φύσεως κατά τε σοφίαν καὶ πρόγνωσιν τῶν ἐσομένων. εἰπεῖν οὖν αὐτῷ τοῦτον τὸν ὁμώνυμον, ὅτι δυνήσεται θεοὺς ἰδεῖν, εἰ καθαρὰν ἀπό τε λεπρῶν καὶ τῶν ἄλλων μιαρῶν ἀνθρώπων τὴν χώραν ἅπασαν ποιήσειεν. ἡσθέντα δὲ τὸν βασιλέα πάντας τοὺς τὰ σώματα λελωβημένους ἐκ τῆς Αἰγύπτου συναγαγεῖν·

1) »Haverc. ἐπιλαβόμενος per lapsum typographi.” Buns.

2) Computatio Iosephi arguit eum aliter scripsisse, quam quod nunc legimus; de quo fusius in annot.

3) Sic omnes codd., sed vix opus est monere Manethonem hoc nomen ubique uno eodemque modo scripsisse; quare restituendum videtur *ΑΡΜΑΙΟΣ* (*C* i. e. *Σ* et *Υ* in codd. non multum differunt).

4) Propius ad Manethonis scripturam (*ΑΡΜΑΙΝ*) accedit cod. Hafn. qui *ΕΡΜΑΝ* habet.

5) Sic e Vet. Interpr. Haverc., antea legebatur ὥσπερ ὧρ, εἷς τῶν κτέ.

6) Perperam e codd. Haverc., quem sequitur Buns., Πάπιος.

γενέσθαι δὲ τοῦ πλήθους μυριάδας ὀκτώ· καὶ τούτους εἰς τὰς λιθοτομίας τὰς ἐν τῷ πρὸς ἀνατολὴν μέρει τοῦ Νείλου ἐμβαλεῖν αὐτὸν, ὅπως ἐργάζοιντο καὶ τῶν ἄλλων Αἰγυπτίων οἱ ἐκκεχωρισμένοι. εἶναι δέ τινας ἐν αὐτοῖς καὶ τῶν λογίων ἱερέων φησὶ λέπρᾳ συγκεχυμένους· τὸν δὲ Ἀμένωφιν ἐκεῖνον, τὸν σοφὸν καὶ μαντικὸν ἄνδρα, ὑποδεῖσθαι πρὸς αὐτόν τε καὶ τὸν βασιλέα χόλον τῶν θεῶν, εἰ βιασθέντες ὀφθήσονται. καὶ προςθέμενον εἰπεῖν, ὅτι συμμαχήσουσί τινες τοῖς μιαροῖς καὶ τῆς Αἰγύπτου κρατήσουσιν ἐπ᾽ ἔτη δεκατρία· μὴ τολμῆσαι μὲν αὐτὸν εἰπεῖν ταῦτα τῷ βασιλεῖ, γραφὴν δὲ καταλιπόντα περὶ πάντων, ἑαυτὸν ἀνελεῖν. ἐν ἀθυμίᾳ δὲ εἶναι τὸν βασιλέα. Κἄπειτα κατὰ λέξιν οὕτω γέγραφεν·

Τῶν δὲ ταῖς λατομίαις, ὡς χρόνος ἱκανὸς διῆλθεν, ταλαιπωρούντων, ἀξιωθεὶς ὁ βασιλεὺς, ἵνα πρὸς κατάλυσιν αὐτοῖς καὶ σκέπην ἀπομερίσῃ, τὴν τότε τῶν ποιμένων ἐρημωθεῖσαν πόλιν Αὔαριν συνεχώρησεν. ἔστι δ᾽ ἡ πόλις κατὰ τὴν θεολογίαν ἄνωθεν Τυφῶνος.[1]) οἱ δὲ εἰς ταύτην εἰςελθόντες καὶ τὸν τόπον τοῦτον εἰς ἀπόστασιν ἔχοντες, ἡγεμόνα αὐτῶν λεγόμενόν τινα τῶν Ἡλιοπολιτῶν ἱερέων ΟΣΑΡΣΙΦΟΝ[2]) ἐστήσαντο. καὶ τούτῳ πειθαρχήσοντες ἐν πᾶσιν ὡρκωμότησαν· ὁ δὲ πρῶτον μὲν αὐτοῖς νόμον ἔθετο μήτε προςκυνεῖν θεοὺς

1) Codd. et edd. omnes Τυφώνιος, quod non ferendum.

2) Ita cum Vet. Interpr. legunt Havercampius et Bunsenius Ὀσάρυφον in Editis, Ὀσάρσηφον Hafn. — Legendum videtur Ὀσάρωφιν, quod usitatum apud Aegyptios nomen, Ὀσάρσιφος ignotum est.

μήτε τῶν μάλιστα ἐν Αἰγύπτῳ θεμιστευομένων ἱερῶν ζώων ἀπέχεσθαι μηδενὸς, πάντα τε θύειν καὶ ἀναλοῦν· συνάπτεσθαι δὲ μηδενὶ πλὴν τῶν συνωμοσμένων. τοιαῦτα δὲ νομοθετήσας καὶ πλεῖστα ἄλλα μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐθισμοῖς ἐναντιούμενα, ἐκέλευσεν πολυχειρίᾳ τὰ τῆς πόλεως ἐπισκευάζειν τείχη, καὶ πρὸς πόλεμον ἑτοίμους γίνεσθαι τὸν πρὸς Ἀμένωφιν [1]) τὸν βασιλέα. αὐτὸς δὲ προςλαβόμενος μεθ᾽ ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἱερέων καὶ συμμεμιασμένων, ἔπεμψε πρέσβεις πρὸς τοὺς ὑπὸ Τεθμώσεως ἀπελασθέντας [2]) ποιμένας, εἰς πόλιν τὴν καλουμένην Ἱεροσόλυμα. καὶ τὰ καθ᾽ ἑαυτὸν καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς συνατιμασθέντας δηλώσας, ἠξίου συνεπιστρατεύειν ὁμοθυμαδὸν ἐπ᾽ Αἴγυπτον. ἐπάξειν μὲν οὖν αὐτοὺς ἐπηγγείλατο πρῶτον μὲν εἰς Αὔαριν τὴν προγονικὴν αὐτῶν πατρίδα, καὶ τὰ ἐπιτήδεια τοῖς ὄχλοις παρέξειν ἀφθόνως, ὑπερμαχήσεσθαι δὲ, ὅτε δέοι, καὶ ῥᾳδίως ὑποχείριον αὐτοῖς τὴν χώραν ποιήσειν. οἱ δὲ ὑπερχαρεῖς γενόμενοι πάντες προθύμως εἰς εἴκοσι μυριάδας ἀνδρῶν συνεξώρμησαν, καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ ἧκον εἰς Αὔαριν. Ἀμένωφις δ᾽ ὁ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς, ὡς ἐπύθετο τὰ κατὰ τὴν

1) Ita Vet. Interpr. *Μένωφιν* in Graecis.

2) Bunsenius legit *ἀπελαθέντας*; sed recentiori tempore Graeci semper huius verbi formis cum *σθ* utuntur. Codd. quoque *ἀπελασθέντας*.

ἐκείνων ἔφοδον, οὐ μετρίως συνεχύθη, τῆς παρ' Ἀμενώφιος τοῦ Παάπιος μνησθεὶς προδηλώσεως. καὶ πρότερον συναγαγὼν πλῆθος Αἰγυπτίων, καὶ βουλευσάμενος μετὰ τῶν ἐν τούτοις ἡγεμόνων, τά τε ἱερὰ ζῶα τὰ πρῶτα μάλιστα ἐν τοῖς ἱεροῖς τιμώμενα ὥς γ' ἑαυτὸν μετεπέμψατο καὶ τοῖς κατὰ μέρος ἱερεῦσι παρήγγειλεν ὡς ἀσφαλέστατα τῶν θεῶν συγκρύψαι τὰ ξόανα. τὸν δὲ υἱὸν ΣΕΘΩΝ, τὸν καὶ ΡΑΜΕΣΣΗΝ ἀπὸ Ῥάμψεως τοῦ πατρὸς ὠνομασμένον [1]), πενταετῆ ὄντα, ἐξέθετο πρὸς τὸν ἑαυτοῦ φίλον [2]), αὐτὸς δὲ διαβὰς τοῖς ἄλλοις Αἰγυπτίοις, οὖσιν εἰς τριάκοντα μυριάδας ἀνδρῶν μαχιμωτάτων, καὶ τοῖς πολεμίοις ἀπαντήσασιν οὐ συνέβαλεν· ἀλλὰ μέλλειν θεομαχεῖν νομίσας, παλινδρομήσας ἧκεν εἰς Μέμφιν. ἀναλαβὼν δὲ τόν τε Ἆπιν καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἐκεῖσε μεταπεμφθέντα ἱερὰ ζῶα, εὐθὺς εἰς Αἰθιοπίαν σὺν ἅπαντι τῷ στόλῳ καὶ πλήθει τῶν Αἰγυπτίων ἀνήχθη. χάριτι γὰρ ἦν αὐτῷ ὑποχείριος ὁ τῶν Αἰθιόπων βασιλεύς· ὅθεν ὑποδεξάμενος, καὶ τοὺς ὄχλους πάντας ὑπολαβὼν οἷς ἔσχεν ἡ χώρα τῶν πρὸς ἀνθρωπίνην τροφὴν ἐπιτηδείων, καὶ πόλεις καὶ κώμας πρὸς τὴν τῶν πεπρωμένων τρισκαίδεκα ἐτῶν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ

1) Haec verba se non recte habere videntur. Nam pater Amenophis semper nominatur non Rampses.

2) Excidit, ni fallor, huius amici nomen; supplendum fortasse *τὸν τῶν Αἰθιόπων βασιλέα.*

ἔκπτωσιν αὐτάρκεις, οὐχ ἧττόν γε καὶ στρατόπεδον Αἰθιοπικὸν πρὸς φυλακὴν ἐπέταξε τοῖς παρ᾽ Ἀμενώφεως τοῦ βασιλέως ἐπὶ τῶν ὁρίων τῆς Αἰγύπτου. Καὶ τὰ μὲν κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν τοιαῦτα. οἱ δὲ Σολυμῖται κατελθόντες, σὺν τοῖς μιαροῖς τῶν Αἰγυπτίων οὕτως ἀνοσίως τοῖς ἀνθρώποις προςηνήχθησαν, ὥςτε τὴν τῶν προειρημένων κράτησιν χειρίστην [1]) φαίνεσθαι τοῖς τότε τὰ τούτων ἀσεβήματα θεωμένοις. καὶ γὰρ οὐ μόνον πόλεις καὶ κώμας ἐνέπρησαν, οὐδὲ ἱεροσυλοῦντες οὐδὲ λυμαινόμενοι ξόανα θεῶν ἠρκοῦντο, ἀλλὰ καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀπτανίοις τῶν σεβαστευομένων ἱερῶν ζώων χρώμενοι διετέλουν, καὶ θύτας καὶ σφαγεῖς τούτων ἱερεῖς καὶ προφήτας ἠνάγκαζον γίνεσθαι, καὶ γυμνοὺς ἐξέβαλον. λέγεται δὲ ὅτι τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς νόμους αὐτοῖς καταβαλόμενος ἱερεὺς, τὸ γένος Ἡλιοπολίτης, ὄνομα ΟΣΑΡΣΙΦ, ἀπὸ τοῦ ἐν Ἡλίου πόλει θεοῦ Ὀσίρεως, ὡς μετέβη εἰς τοῦτο τὸ γένος, μετετέθη τοὔνομα καὶ προςηγορεύθη ΜΩΥΣΗΣ.

(Cap. 27.) Ἃ μὲν οὖν Αἰγύπτιοι φέρουσι περὶ τῶν Ἰουδαίων, ταῦτ᾽ ἔστι καὶ ἕτερα πλείονα, ἃ παρίημι συντομίας ἕνεκα. λέγει δὲ ὁ Μανεθὼν πάλιν·

Ὅτι μετὰ ταῦτα ἐπῆλθεν ὁ Ἀμένωφις ἀπὸ

[1]) Ita cum Lowthio e Vet. Interpr. legit Havercampius, antea erat χρυσὸν φαίνεσθαι, nullo plane sensu.

Αἰθιοπίας μετὰ μεγάλης δυνάμεως, καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ῥάμψης [1]) καὶ αὐτὸς ἔχων δύναμιν· καὶ συμβαλόντες οἱ δύο τοῖς ποιμέσι καὶ τοῖς μιαροῖς, ἐνίκησαν αὐτοὺς, καὶ πολλοὺς ἀποκτείναντες ἐδίωξαν αὐτοὺς ἄχρι τῶν ὁρίων τῆς Συρίας.

1) Iosephus, ni fallor, huius filii nomen de suo addidit; nam paulo ante idem Ramesses vocatus erat, cuiusmodi negligentia Manethoni non tribuenda.

MANETHONIS AEGYPTIACORUM

COMPENDIUM.[1]



E recensione Eusebii [2]).

Primus Aegyptiorum deus [3]) Vulcanus fuit, qui etiam ignis repertor apud eos celebratur [4]). Ex eo Sol; postea Agathodaemon [5]); deinde Saturnus; tum Osiris; exin Osiridis frater Typhon; ad extremum Orus, Osiridis et Isidis filius. Hi primi inter Aegyptios rerum potiti sunt. Deinceps continuata successione delapsa est regia auctoritas ad Bytin [6]) per annos tredecim mille ac nongentos....... Post deos regnaverunt heroes annis MCCLV; rursusque alii reges dominati sunt annis MDCCCXVII; tum alii triginta reges Memphitae annis MDCCXC; deinde alii Thinitae decem reges annis CCCL. Secuta est manium heroumque dominatio annis MMMMMDCCCXIII. Summa temporum in undecim milia consurgit annorum.

---

1) In edendis Aegyptiacorum fragmentis universe recensionem Bunsenii sequor. Cf. eius »*Urkundenbuch*", p. 1—52.

2) Eusebii Manethoniana inveniuntur in Chronici Armeniaca versione l. I. c. 20, et apud Syncellum p. 55 sq. Codicis B. Syncelli lectionem praetuli; interdum iuxta nomina propria cod. A scripturam apposui.

3) »Cod. Arm. *homo*, et sic etiam Moses Chorenensis, Histor. I. 6. Sed *deus* apud Syncellum p. 18. Reapse hic agitur de Aegyptiaca deorum dynastia." Leopardus apud Maium, in edit. Roman.

4) Ultima verba glossa Eusebii sunt, neque e Manethone hausta. Phtha Aegyptiis non erat ignis inventor; et siquidem fuisset, illud hoc loco memorare fuisset ineptum.

5) »In cod. Arm. textu lacuna est, quae suppletur in margine, scribendo: *postea Agathodaemon.*" Maius in edit. Mediolan.

6) Sic in Rom. edit. scriptum est, in Mediolan. *Bijdin.*

E recensione Africani [1]).

Μετὰ νέκυας καὶ [1]) *τοὺς ἡμιθέους πρώτη βασιλεία καταριθμεῖται βασιλέων ὀκτώ, ὧν πρῶτος*

α'. ΜΗΝΗΣ *Θινίτης* [3]) *ἐβασίλευσεν* . . . . *ἔτη* ΞΒ.. 62
ὃς ὑπὸ ἱπποποτάμου διαρπαγεὶς διεφθάρη.

β'. ΑΘΩΘΙΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* ΝΖ... 57
ὁ τὰ ἐν Μέμφει βασίλεια οἰκοδομήσας, οὗ φέρονται βίβλοι ἀνατομικαί, ἰατρὸς γὰρ ἦν.

γ'. ΚΕΝΚΕΝΗΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* ΛΑ... 31

δ'. ΟΥΕΝΕΦΗΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* ΚΓ... 23
ἐφ' οὗ λιμὸς κατέσχε τὴν Αἴγυπτον μέγας· οὗτος τὰς περὶ Κωχώμην ἤγειρε πυραμίδας.

ε'. ΟΥΣΑΦΑΙΔΟΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* Κ... 20

ς'. ΜΙΕΒΙΔΟΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* Κς... 26

ζ'. ΣΕΜΕΜΨΗΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* ΙΗ... 18
ἐφ' οὗ φθορὰ μεγίστη κατέσχε τὴν Αἴγυπτον.

η'. ΒΙΗΝΕΧΗΣ *υἱὸς* . . . . *ἔτη* Κς... 26

Ὁμοῦ ἔτη ΣΝΓ (253) [4]) 263

1) Aegyptiacorum compendium Africani exstat apud Syncellum p. 54 sq.
2) Codd. *μετὰ νέκυας τοὺς ἡμιθέους.* Voc. *καὶ* ex Eusebianis inseruit Routh, reliq. sacr., quem sequitur Bunsenius.
ὁ θεὸς ἀντέπνευσεν] Manetho non ut Aegyptius sacerdos sic loquitur, sed Graece cogitat. His *ὁ θεός*, et sine artic. *θεός*, idem est ac *τὸ θεῖον*, *numen divinum*, *ὁ θεός κατ' ἐξοχήν summus deus.* Sic v. c. Demosthenes pro Corona § 97. *δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅ τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως.* Pro *ὁ θεός* hoc sensu philosophi interdum *οἱ θεοί*, sive *θεοί* ponunt, v. c. Plato Phaed. p. 62. *b.* et *c.* (edit. Steph.) ad quem locum Wyttenbachius annotavit: „Frequens est apud Veteres variatio in numero huius nominis (*θεός*), prouti vel universe Deorum genus vel unus praecipue, vel summus Deus significatur." Porro deos hominibus victoriae aut cladis auctores esse Graeca quoque doctrina est. Xenophon Hell. V. 13: *περιεγέγραπτο γάρ, ὡς ἔοικεν, ὑπὸ τοῦ θείου, μέχρις ὅσου ἡ νίκη ἐδέδοτο αὐτοῖς.* Sed idem credebant Aegyptii, in quorum monumentis Ammon aliusve deus saepius inducitur Pharaonibus victoriam promittens. Vide inscriptionem obelisci ab Ammiano Marcellino relatam, apud Zoëgam de obelisc. p. 26, *Τάδε λέγει ἥλιος βασιλεῖ Ραμέσσῃ· δεδωρήμεθά σοι πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν.*

ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι] Non alienum erit hoc loco semel exponere quinam isti homines genere ignobiles fuisse videantur. Israëlitas eos esse putat, aut, quod potius credam, se putare simulat Iosephus, cuius opinionem acute defendere conatus est Perizonius et nuper iterum Hengstenbergius. Sed

Manethonis narratio de pastorum invasione, tyrannide et expulsione adeo ab iis, quae leguntur in Vetere Testamento de Israëlitarum in Aegyptum receptione, servitute et exitu differt, ut comparari inter se vix possint. Praeterea plures, inter quos Engelstoftius l. l. p. 150 sq., Iosephi opinionem ita refellerunt, ut ad eos ablegare lectorem mihi sufficiat [1]). Quid equidem hac de re censeam explicabo.

Ex ipsa Manethonis traditione novimus pastores venisse ex Oriente, ex Arabia igitur aut Palaestina, quapropter eos Arabes fuisse nonnulli Aegyptiorum sacerdotes arbitrabantur. Dubitare ergo non licet quin fuerint Nomades, quales in desertis Arabicis huc usque semper vagantur, agriculturae inimici, rapaces, crudeles, iidem denique quos Manetho depingit. Cuius autem gentis fuerint incertum est. *Hycsos* eos nominat Manetho, quod tamen haud dubie nomen probrosum est, quo eos notabant Aegyptii, gentile non est, ut significatio docet. Probabile videtur plures Nomadum stirpes se ad invadendam Aegyptum coniunxisse: tantae enim expeditioni una gens impar fuisse videtur; et quum Cananaei deserta Aegypto contigua tenuerint, mirum ni una et altera ipsorum gens se iis adiunxerit. Aegypti finibus adiacebant tunc temporis Chettaei [2]), unus e septem populis qui ante adventum Israëlitarum terram Canaanis inhabitasse dicuntur (Deuteron. VII 1; Ios. III 10). Hanc gentem monumenta antiqua Aegyptiorum exhibent devictam eodem fere tempore

---

[1]) Idem argumentum tractarunt Baumgarten, *Disputatio sive examen variarum opinionum de regno posterorum Abrahami in Aegypto.* Halae Sax. 1744. 4°. Königsmann, *Prolusio historico-critica: narratio Manethoniana de regibus pastoribus iterum Aegypto excedentibus a Flavii Iosephi argumentis vindicata.* Slesvici 1799. 4°. Strobel, *Disquisitio historica an Manethonis pastores invasores fuerint Israëlitae.* Altd. 1730. 4°. Horum primum tantum consulere mihi licuit.

[2]) Tempore Abrahami Chebron in sedibus Chittaeorum sita dicitur Genes. XXIII. Cf. Ios. I. 4. et Numer. XIII. 29.

quo Hycsos ex Aegypto expulsos esse narrat Manetho [1]; unde colligo Chettaeos ad ἔθνος τῶν Ὑκσως pertinuisse. Idem de Philistaeis censeo, qui tempore exitus Iudaeorum (i. e. paulo postquam pastores ex Aegypto fuerunt eiecti) oram maritimam inter Aegyptum et terram Canaänis habitabant (quod conficitur ex Exod. XIII. 17. 18), quique in libris sacris Iudaeorum (Deuter. II 23, Jerem. XLVII 4, Amos IX 7, Genes. X.) insula Caphtore egressi dicuntur, quae insula haud dubie Aegypti pars habenda est [2]. Quum vero non genere Caphtoraei aut Aegyptii in libris sacris vocantur sed tantum e Caphtore egressi dicuntur, inde ingeniose coniecit Engelstoftius biblicam traditionem ad eandem historiam spectare, quam designat Manetho, et Philistaeos propterea τοῖς Ὑκσως adnumerandos esse. Hanc coniecturam confirmat traditio popularis Aegyptiorum, quam memorat Herodotus l. II c. 128: circum pyramides olim pastorem Philitidem armenta sua pavisse, quamque ad pastorum dominationem primus retulit Iablonskius, Vocc. Aegypt. p. 346, quem sequuntur Heerenius, Creuzerus in Comment. Herodot. I p. 188. Bunsenius II p. 32. — Praeterea Amalecitarum tribus, quae non longe a Philistaeis habitabat, verisimiliter una cum Chettaeis et Philistaeis Aegyptum hoc tempore debellavit. Historici Arabes saltem tradunt Amalecitas olim subegisse Aegyptum inferiorem, duce *Walide*, qui Aegypti rex creatus primus Pharao cognominatus sit [3].

---

[1] Secundum Manetonem Hycsos eiecti sunt a Thutmose, et, quum postea reversi erant, a rege Amenophi. Chettaei (Cheti in monumentis antiquis vocati) in parietibus Rhamessei Thebani et in papyro hieratico (vid. Proleg. p. XLI) a rege Rhamesse Magno devicti exhibentur. Cf. Champollio, *Epist. ex Aeg. script.* p. 263 sq. et Bunsenius III. p. 49.

[2] Cff. Reland, *Palaest.* I. p. 74. Winer, *Real Wörterb.* II. p. 299. Engelstoft. l. l. p. 90 sq. Alibi (Gen. X. vs. 14) Philistaei dicuntur egressi e Casluchaeis: Casluchaei autem et Caphthoraei e Mitzraïm (Aegypto) originem traxisse ponuntur: unde sequitur utramque tribum in Aegypto quaerendam esse.

[3] Pauthier, *Livres sacrés de l'Orient*, p. 466 b.

Quamquam praeter has plures etiam tribus Aegyptum invasisse nusquam narrantur, tamen sana ratio docet tantae regioni subigendae tres parvas pastorum gentes non pares fuisse et propterea ut statuamus fere cogit gentes moribus et situ Chettaeis et Amalecitis affines, Iebusaeos, Emoraeos Geschuraeos [1]), alios, socios iis in ista expeditione fuisse; ita ut uno verbo dicere possimus *Hycsos* fuisse gentes nomades, quae tempore occupationis Israëlitarum Palaestinam meridionalem tenebant.

Etsi igitur uni Manethoni notitiam Aegypti a nomadibus occupatae debeamus, plura tamen indicia in libris Iudaeorum et Arabum, et in Herodoto obvia fidem eius confirmant. Accedit quod, ut legimus in libris sacris Iudaeorum, paulo antequam Israëlitae in terram Canaän ingressi sunt, plures gentes, quae meridionalem Palaestinam habitaverant in partem septentrionalem detrusae sunt: Emaei ab Ammonitis, Horitae ab Edomaeis depulsi dicuntur, et, quod probe observandum, Aviti a Caphthoraeis (i. e. Philistaeis, vide supra), quum e Caphthore (Aegypto) exierunt. Haec generalis demigratio septentrionem versus explicari nequit nisi ponamus potentem aliquam stirpem ex Aegypto in Palaestinam fuisse eiectam, quae, ut recentiori aevo Hunni et Gothi, gentes, in quas inciderent, e sedibus eiectas ante se egisset.

His omnibus Manethonis narratio non solum egregie confirmatur, sed illustratur etiam. Nam quum hic de invasorum moribus, indole, religione nihil fere tradiderit, hanc lacunam libri Iudaeorum nobis satis supplent. Philistaeorum vitae et morum accuratam imaginem praebet liber Geneseos

---

1) Exploratores a Mose in terram Canaän missi, renuntiant Amelecitas habitare in plaga australi, Chettaeos, Iebusaeos et Emoraeos in montanis (Num. XIII. 30). Geschuraei iunguntur cum Philistaeis (Ios. XIII. 3) et cum Amalecitis (1 Sam. XXVII. 8) et dicuntur incoluisse tractus qui tendunt versus Aegyptum.

c. XX et sq. et in descriptione occupationis terrae sanctae de populis Cananaeis multa memorabilia traduntur; quibus vero pastorum dominationem illustrare a consilio nostro alienum est.

ἐπὶ τὴν χώραν] i. e. *ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον*. Sic apud optimos auctores *ἡ χώρα* nihil addito pro illa regione ponitur de qua praesertim agitur. Scholiastae nunquam negligunt annotare quae terra designetur. Cf. Peyron ad Pap. Taurin. I. p. 115.

ἀμαχητὶ — κατὰ κράτος.] Haec inter se pugnare videntur. Sed Manetho significat pastores *vi*, *non pacto* Aegypti potitos, iis vero Aegyptios fere non restitisse. Eodem modo infra dicit *διὰ πολιορκίας ἑλεῖν κατὰ κράτος*. Formula *ἑλεῖν κατὰ κράτος*, Atticis usitatissima, Alexandrini uti amabant. Sic v. c. Inscr. Rosett. l. 26. *τὴν πόλιν κατὰ κράτος εἷλεν*.

τοὺς ἡγεμονεύσαντας.] *urbium et nomorum praefectos*. Vid. Proleg. p. LII. Verbum *ἡγεμονεύειν* vulgo cum genit. etiam cum praepositione construitur. Ut noster *ἐν τῇ χώρᾳ ἡγεμονεύειν*, sic Plato de Republ. V. p. 474 c. *ἡγεμονεύειν ἐν τῇ πόλει* scribit.

χειρωσάμενοι.] Inscr. Rosett. l. 26. *ἐχειρώσαντο τοὺς — ἀποστάντας*. Formulas Manethonianas hic et infra cum inscriptionibus Graeco-Aegyptiacis confero, ut e lingua quoque videant lectores quo iure Hengstenbergius nostrum imperatorum aetate scripsisse contendat.

τοῖς ἐπιχωρίοις.] Distinguunt Grammatici inter *ἐπιχώριος* et *ἐγχώριος* ita, ut hic sit *qui in regione quadam habitat, etsi peregrinus*, ille *qui in regione, quam habitat, natus est*. Quam distinctionem vero Alexandrini non observant. His *οἱ ἐγχώριοι*, non secus atque *οἱ ἐπιχώριοι*, *indigenae* sunt et opponuntur *τοῖς κατοίκοις*. Cf. Peyron ad Pap. Taurin. II. p. 8. Eodem modo in inscr. Rosett. l. 54. *τοῖς ἑλληνικοῖς γράμμασιν* opponuntur *τὰ ἐνχώρια* (*ἐγχώρια*), ubi cf. Letronnium.

ΣΑΛΑΤΙΣ] Bochartus in Canaäne p. 374 nomina regum τῶν Ὑκσως e lingua Punica derivare conatus est. Quod illi minus feliciter successisse videtur, quoniam corruptas lectiones ante genuinas explicandas sibi elegit. Sic e. g. pro *Salatis*, *Saïtes*, pro *Beon*, *Anon* ad radices Punicas refert. Nec meliora protulit Hengstenbergius p. 270. Hic Salathim Iosepho librorum sacrorum assimulans, nomen fluxisse statuit e Genes. XLII. 6, ubi legitur: „Iosephus regioni imperabat, הַשַּׁלִּיט." Talia refutare non opus est. Sine dubio *Salatis* aliorumque regum nomina Semitica sunt, quippe a viris Cananaeis gesta, sed ea, ut nunc Graece ex Aegyptiaca scriptura translata sunt, e vocibus Hebraicis aut Arabicis deducere nimis audax est. Non possum tamen quin observem hoc nomen non multum distare a *Walid*, ut vocatur rex Amalecitarum, qui secundum traditionem Arabici historici, primus Aegyptum subegit.

καὶ οὗτος ἐν τῇ Μέμφιδι (sic leg. non ut vitio typographico in textu exstat: *ἐν Μ.*) *κατεγίνετο*] *et hic Memphide considebat*, *habitabat*. Demosthenes c. Midiam p. 521. *ἔχω χρυσοχοεῖον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν ᾧ καταγίγνομαι*, ubi Schaeferus annotat: „*καταγίγνεσθαι ἐν τόπῳ* perrarum est." Utuntur tamen hoc sensu Graeci, in Aegypto viventes; Decretum Busiritanorum v. c. sic incipit: *ἔδοξε τοῖς ἀπὸ κώμης Βουσίρεως.... καὶ τοῖς ἐν αὐτῇ καταγεινομένοις Τοπογραμματεῦσι.... ψηφίσασθαι κτέ. placuit incolis pagi Busiris.... et Loci-Scribis, qui in eo habitant, decernere etc.*

καὶ οὗτος ἐν τῇ Μέμφιδι κατεγίνετο κτέ.] Viva et accurata pastorum dominationis imago! Et tamen plures Aegyptologi plane diversum ab illa imperium Hycsorum sibi fingunt. Sic Rosellinius censet pastores assumsisse linguam et mores Aegyptiacos, quo nihil Manethonis descriptioni magis contrarium. Nunquam cum indigenis victores se commiscebant, sed, dispositis per castella et loca opportuna praesidiis, maximam exercitus partem ad fines orientales in oppidum vallo monitum contractam tenebant, unde certo tempore in

agrum Aegyptiacum incurrebant, viros, quot resisterent interficientes, feminas et liberos in servitutem deducentes, tributa exigentes et praedam, quantum possent, comportantes. Non aliter Cimmerii Lydos, ceterique semper nomades barbari cultiores Asiae populos opprimebant et expilabant.

τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν.] Recte noster Aegyptum in duas partes dividit, non in tres, ut vulgo solent. Sic Strabo l. XVII. Tom. III. p. 416 ed. Tauchn. *ἡ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε δέκα μὲν ἡ Θηβαΐς, δέκα δ' ἡ ἐν τῷ Δέλτα, ἑκκαίδεκα δ' ἡ μεταξύ,* quocum consentit Ammianus Marcell. l. XXII. Champollio vidit hanc divisionem pertinere ad Ptolemaeorum et imperatorum tempora, sed incertum esse putat an ad Pharaönum quoque imperium referenda sit (Aegypt. sub Pharaönibus I. p. 64). Potuerat tamen veritatem e Manethone didicisse, et ex Inscr. Rosett. v. 46, ubi Ptolemaeus cognominatur *ὁ ἐπιφανῆ ποιήσας τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν.* Uterque locus arguit Aegyptum sub prioribus Ptolemaeis in duas tantum partes fuisse divisam. Quam divisionem sub regibus indigenis quoque viguisse docent monumenta antiqua. Quoto Ptolemaeo regnante Aegytus in tres partes dividi inceperit accurate definiri nequit. Sed sub Ptolemaeo Aulete talem distributionem iam usitatam fuisse ex inscriptione Musei Britannici, a doctissimo Leemans in epist. ad Salvolinium p. 139 tab. XXXVII. 278 edita, certum est. Nota res est Aegypti *inferioris* imperium [1]) hieroglyphice significari mitra quadam, cui nomen *teschr*, et *superioris* alia mitra, quae *ouobsch* dicitur. In inscriptionibus ergo Pharaones et priores Ptolemaei utriusque mitrae domini vocantur, sed in stela, de qua agimus, Ptolemaeus Auletes (cf. Leemans l. l.) appellatur dominus mitrae *ouobsch* et utriusque *teschr;* huius aetate igitur Aegyptus inferior iam in Delta et Heptanomidem sine dubio devidebatur.

---

[1]) Minus accurate Champollio, *Gramm. Hierogl.* p. 26, quem sequuntur Aegyptologi, docet *τῇ ouobsch* designari ipsam Aegyptum superiorem, *τῇ teschr* ipsam inferiorem.

Obiter animadvertere mihi liceat Manethonem si tempore imperatorum vixisset, ut vult Hengstenbergius, Aegypti divisionem illam tripartitam haud dubie relaturum fuisse.

᾿Ασσυρίων τότε μεῖζον ἰσχυόντων] Vide Proleg. p. XLIII.

ἐν νομῷ τῷ Σεθροΐτῃ] Sic legendum esse pro *ἐν ν. τ. Σαΐτῃ* supra vidimus, ut non opus sit Hengstenbergium redarguere, qui credit se Manethonem h. l. ignorantiae chorographiae Aegypti convictum tenere. Contra eodem hoc loco in geographia profecimus. Non constabat in quo nomo Pelusium, nobilissima urbs, sita fuerit. Cf. Cellarius, Geogr. antiq. l. IV. c. 1. p. 34. Sed Manetho hic docet nomon Sethroitem utramque ostii Bubastici ripam amplexum esse; (nam Auaris ad orientem huius ostii et nihilominus in nomo Sethroite sita fuisse dicitur) unde sequitur Pelusium huic praefecturae olim fuisse subditum.

Βουβαστίτου ποταμοῦ] In his verbis iterum manifestum indicium inest Manethonem sub prioribus Ptolemaeis scripsisse. Nili enim cornua Graeci vulgo vocant *στόματα*, — Herod. l. II c. 17, Diodor. Sic. l. I c. 33 in fine; Strabo l. XVII p. 438 (edit. Tauchn.) Plutarch. de Iside c. 13; Pausanias l. V c. 21, p. 432. — *Κέρα* appellant Thucyd. l. I c. 110 et Pindar. apud Strab. l. XVII p. 440, quod inusitatius ideoque exquisitius, ita ut merito Scholiasta ad Thucydidis l. l. annotaverit: *κέρας καλεῖ τοῦ Νείλου τὸ στόμα καὶ τὴν ἐκβολήν.* Noster, si Graecus fuerit aut sub imperatoribus vixerit, scripsisset sine dubio *πρὸς ἀνατολὴν τοῦ Βουβαστίτου στόματος*, sed Aegyptius Philadelphi aequalis apte voce *ποταμοῦ* utitur. Non aliter in Inscr. Rosett. *τὰ στόματα τῶν ποταμῶν* vocantur quae vulgo dicerentur *αἱ ἐκβολαὶ τῶν στομάτων.* Cff. Letronnius ad l. l. Inscr. Rosett. et Peyron. ad Pap. Taurin. I p. 90, qui exemplis demonstrant *ποταμοὺς* nonnunquam significare *ὀρυχθέντας ποταμούς, διώρυχας.*

Quamvis cum intelligentia huius loci non sit coniunctum, paucis tamen de nomine Bubasto hic agam. Dea, quam He-

rodotus ceterique Graeci *Βούβαστον* appellant, in hieroglyphicis inscriptionibus semper scribitur *Pascht*, *Bast*, cum terminatione Graeca *Βάστος*. Quaerendum ergo quare Graeci nomen deae syllaba *Βου* praefixa ornaverint. Ni fallor Herodotus, qui huius rei auctor est, nomen urbis et deam male confudit. *Bast* nomen divinum est, inde formatur nomen urbis *Pabast* (i. e. *ἡ τῆς Bast* sc. *urbs*. Cf. Champollio Aegypt. sub Pharaonibus I p. 36) vel, ut Graecis auribus sonabat, Boubast, *Βούβαστος*. Ut urbis sic etiam deae *ἐπωνύμου* nomen articulo praefixo auxit Herodotus et *hinc illae lacrimae*.

καλουμένην δ' ἀπὸ τῆς ἀρχαίας θεολογίας Αὔαριν] Nemo veterum praeter Manethonem huius oppidi mentionem facit. Quod inde verisimiliter potest explicari, quod a rege Thutmose, qui pastores eiecerat devastatum, quo tempore Graeci Aegyptum visitabant, non amplius existeret. Sed speciose Larcherus coniecit Auarim et Heropolin Graecorum unam esse urbem [1]); quam opinionem novis argumentis munivit Champollio Aegypt. sub Pharaonibus II p. 87 sq. Champollionis argumentatio haec est: Heropolis Graecorum eodem omnino loco sita fuit, quo e Manethonis indiciis Auaris quaerenda est. Praeterea Auaris secundum Manethonem Typhonis oppidum ex antiqua theologia dicebatur, et in urbe Heropoli testante Stephano Bys. i. v. *Ἡρώ*, Typhonem fulmine ictum fuisse putabant. Denique *Αὔαρις* pronunciatione non multum differt ab *Ἡρώ*, vero oppidi nomine, quod in *Ἡρώπολις* et *Ἡρώων πόλις urbem heroum* deinde Graeci, more suo, corruperint [2]). Sic ille. Sed negligit explicare, cur nomini *Ἡρώ* vocem *πόλιν* Graeci adiunxerint, quam non nisi nominibus deorum affigere solent e. g. *Ἡλιόπολις*, *Διόσπολις*.

---

1) Marshamus, *Can. Chron.* p. 107, et Zoëga, *de obelisc.* p. 577 Auarim idem esse ac Pelusium censent.

2) Quomodo Hengstenbergius p. 243 affirmare potuerit Champollionis opinionem in argumento e situ utriusque oppidi petito *unice* niti non intelligo.

Quae difficultas autem, si recte sublata erit, verisimiliorem etiam coniecturam reddet. *Ἡρώ* enim aut *Ἡρών* ni fallor, revera nomen divinum est. In fidelissima Hermapionis versione inscriptionis, in obelisco Heliopolitano insculptae, Rhamesses Magnus non semel *υἱός Ἡρῶνος* vocatur, ubi *Ἡρών* haud dubie deus est. Nemo, quantum scio, huc usque definire conatus est, qualis deus ab Hermapione significetur [1]): quippe quae quaestio haud ita facilis est. Sed si merito deum Heropolios sive Auarios cum deo in Hermapionis inscriptione nominato contuli, dubium non amplius est qualis deus ibi designetur. Nam Manetho paullo infra diserte tradit Auarim Typhonis oppidum haberi. *Ἡρών* ita cognomen Typhonis esse debet. Et revera Typhon cognominatur *Bar* vel *Ouar*, nam *b* et *ou* eodem fere modo pronunciabantur, cff. Peyron, Gramm. Copt. p. 3, Champollio, Enchirid. system. Hierogl. p. 111, Zoëga, de obelisc. p. 455 ann. 53. *Ouar* cum terminatione Graeca fit *Αὔαρις*, vel *Ἡρώ* et cum term. *Ἡρών*, nam *ou* ante vocalem et spiritus asper Aegyptiorum auribus fere idem sonasse videntur. Sic rex, quem Hebraei vocant Hophra, Manethoni *Οὔαφρις* et Herodoto *Ἀπρίης* est. — Neque, si mea explicatio admittitur, ineptum Rhamessi Magno cognomen erit *υἱός Ἡρῶνος*. Nam in inscriptione toichographiae cuidam, in ruderibus ad pagum Betualli, apposita, barbarorum duces eundem Rhamessem ita alloquuntur: „Similis es domino *Ouar* (Bar), in aeternum illius genuinus filius." — Eidem deo, Typhoni, tota haec Aegypti praefectura sacra fuisse videtur: in lacu Serbonide e. g. Typhonem latere Aegyptii credebant, ut tradit Herodotus l. III c. 5.

Ridicule Hengstenbergius p. 243 ex eo, quod *ἀπὸ τῆς ἀρχαίας θεολογίας* Auarim sic nominatam esse dicit, Manethonem hanc urbem plane finxisse, ideoque mysticum sensum

---

1) Champollio, *Gramm. Aegypt.* p. 361 deum Tmou sub Heronis nomine latere putat, quam opinionem nullo tamen argumento commendare conatur.

nomini tribuisse conclusit. Cur enim si mentiri voluisset, oppidum fingere quam notam urbem Pelusium nominare maluisset?

ταύτην ἔκτισεν] Male vertunt *hanc aedificavit.* Sensus loci docet *κτίζειν* hic non esse *urbem condere*, sed urbem iam existentem *habitatam reddere*, *augere.* Eodem sensu Herodotus l. I c. 168: *καὶ ἐνταῦθα ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα, τὴν πρότερος τούτων Κλαζομένιος Τιμήσιος κτίσας οὐκ ἀπώνητο κτέ.* Ut *κτίζειν*, sic *οἰκίζειν πόλιν* proprie quoque significat *urbem aedificare*, sed interdum vertendum *novis colonis urbem habitatam reddere:* Thucydides l. VI c. 5: *Τὴν πόλιν αὐτὸς* (sic l. cum Bekkero pro vulgari *αὐτοῖς*) *ξυμμίκτων ἀνθρώπων οἰκίσας Μησσήνην ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ ἀρχαῖον πατρίδος ἀντωνόμασεν·* eodem modo *κτίσις*, Thuc. I 18.

ἄρξας δ' ἐννεακαίδεκα ἔτη] Unde Manetho acceperit quot annos singuli pastorum reges imperium tenuerint non intelligo; nam in Aegyptiorum *ἀναγραφαῖς* eum hoc annotatum invenisse ne credas, cf. prolegom. p. XXXIV. Quum vero sex reges, quorum nomina et annos refert, perpetuum bellum contra Aegyptios gessisse dicantur, fieri saltem potest ut in aliquo carmine (proleg. p. XL) de hoc bello relatum invenerit.

πολεμοῦντες ἀεὶ καὶ ποθοῦντες μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν] Hic locus sufficeret ad redarguendam eorum opinionem, qui hos pastorum reges legitimos Pharaones ab Aegyptiis habitos esse putant. Pastorum dominationem omnes, ne Bunsenio quidem excepto, perperam acceperunt. Statuit enim ille, III p. 22, post mortem Pharaonis, sub quo Hycsos Aegyptum invaserint, Salatim, e pastorum stirpe, successorem illi rite et legitime esse creatum, a quo tempore imperium in pastorum gente manserit, donec eos tandem Amosis e Memphide eiecit. Neque dubitat quin pastorum principes, a Salate usque ad Amoseos aetatem, in *ἀναγραφαῖς* ut Aegypti reges adscripti sint [1]). Quam con-

---

[1]) Ipsa viri Doctissimi verba hic apponam: » Die Eroberer warfen bei dieser Gelegenheit den letzten Schein der Pharaonenherschaft über

traria haec omnia Manethonis descriptioni sint, quisque videt. Sex priores saltem pastorum principes imperium vi et armis non lege obtinent, neque ut Aegypti reges creentur curant, sed Aegypti radicem penitus exscindere conantur. Fortasse in Aegypto superiore alicubi Pharaönum imperium, etsi debilitatum et parum stabile et victoribus tributarium, continuabatur, et fortasse illi in *ἀναγραφαῖς* recensebantur; sed potius credam in iis, ut in tabula Abydena, omnes, qui dominantibus pastoribus Aegypto aut Aegypti parti praefuerant, fuisse omissos, quam mihi persuaderi sinam sacerdotes divis Pharaönibus adnumerasse pastorum despectorum duces.

Ἐκαλεῖτο δὲ κτέ.] Iosephum huc usque ipsa Manethonis verba afferre, sed ab his inde verbis narrationem eius contractam suis repetere perperam censet Bunsenius [1]). Sequentia usque ad *Τούτους δὲ τοὺς προκατωνομασμένους βασιλέας* ipsa Aegyptiacorum verba sunt. Quod arguit praeter totius loci nexum, forma accus. plur. *βασιλεῖς*, quae Manethoni usitata est, Iosepho non item, qui v. c. paulo infra *τοὺς προκατωνομασμένους βασιλέας* scribit.

ἱερὰν γλῶσσαν] Antequam nominis *ΥΚΣΩΣ* interpretationem spectemus, inquiramus necesse est, quid sit *ἱερὰ γλῶσσα*, et quantum a *κοινῇ διαλέκτῳ* distet [2]).

---

den Haufen, und setzten einen Fürsten aus ihren Stamme auf den Thron von Memphis. Von diesem Augenblicke an wurden sie in den Reichsannalen als Könige aufgeführt, und behielten in denselben ihre Stelle bis zu dem Augenblicke, wo sie Memphis verloren."

1) Sic *Urkundenbuch*, p. 43. Alibi III p. 10, postquam hunc locum usque ad *Τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι* Germanice versum descripsit »Huc usque Manetho;" inquit, »addit Iosephus" etc. Sed sic peius etiam errat, ut mox videbimus.

2) Hengstenbergius, quamvis linguam Aegyptiacam non doctus, contendit, p. 240, nullum vestigium sacrae linguae vulgari oppositae in Aegypto inveniri; et tamen legerat libellum Salvolinii de expeditione Rhamesis Magni adversus Chettaeos, ubi p. 91 sq. de sacra dialecto Manethonis agitur, et nonnulla vocabula quae ad eam pertinent, explicantur.

Remotissimis temporibus, de quibus historia omnino silet, una Aegyptii lingua utebantur, lingua *vulgari*. Quum deinde paulo cultiores facti cogitationes suas certis signis quodammodo exprimere didicerant, et tandem aliquando literarum (signorum phoneticorum) usum invenerant, huius vulgaris linguae verba et dictiones papyro aut ligno aut lapidi inscribebant. Hucusque una tantum lingua exstabat, sed ex communi hoc fonte duae dialecti paulatim defluebant. Lingua vulgaris populi sermone trita magis magisque formas et dictiones mutatabat, nova vocabula assumebat, vetera reiiciebat, ita ut lingua, qua utebantur Manethonis aequales quod ad loquendi normam longissime distaret ab ea, quae ante viginti et plura saecula in Aegypto viguerat. Cursus temporum, qui vulgarem linguam adeo mutaverat, intactum contra et immutatum fere monumentorum stilum reliquerat. Hoc effecit amor antiquitatis, qui in nulla re magis quam in religione valet [1]. Quoties templum alicubi temporis lapsu corruerat, eodem loco novum aedificari solebat, eidem numini sacrum, eodem modo ornatum, et iisdem hymnis in dei honorem parietibus et columnis inscriptis decoratum [2]. Quid mirum si etiam linguam, qua hymni isti conscripti fuerant, incorruptam in novo monumento servabant? Neque tantum deorum laudes, sed regum etiam in templorum parietibus depingebantur et inscribebantur, eadem lingua compositae, qua odae in deos. Cur nunc nova dialecto conscriberentur? Sic factum est ut antiqua lingua, quae mortua merito dici potest, ad sacra unice reservaretur, et in publicis monumentis, quae

---

1) Plato Leg. I, p. 656 Steph. *καὶ παρὰ ταῦτ᾽ οὐκ ἐξῆν οὔτε ζωγράφοις (Αἰγυπτίοις) οὔτ᾽ ἄλλοις, ὅσοι σχήματα καὶ ὁποῖ᾽ ἄττα ἀπεργάζονται, καινοτομεῖν οὐδ᾽ ἐπινοεῖν ἄλλ᾽ ἄττα ἢ τὰ πάτρια· οὐδὲ νῦν ἔξεστιν οὔτ᾽ ἐν τούτοις, οὔτ᾽ ἐν μουσικῇ ξυμπάσῃ.*

2) Simile quid in Graecia olim fieri solebat, cf. Muellerus, *Archaeolog.* p. 62 (sec. edit.). Et de Romanis satis idem constat, qui, quae vetustate collabebantur, eodem, quantum possent, modo, reficere solebant.

omnia religioni destinata erant, semper inscriberetur. — Haec sacra dialectus est.

Idem, quod in lingua, in scriptura quoque accidit. Antiqua scriptura, immutata et incorrupta, in sacris inscriptionibus et scriptis servabatur. Sed usus quotidianus operosam et commercio parum aptam scribendi rationem in faciliorem et utiliorem mutavit: sic exstitere hieratica et demotica scripturae, quarum haec linguae vulgari, illa sacrae assignabatur [1]).

Differentiae vulgaris et sacrae dialecti exempla afferre, quum ad illustrandam Manethonis mentem non conduceret, dissertationis consilium me vetat, et propterea in aliud tempus remitto.

ΥΚΣΩΣ, τοῦτο δέ ἐστι κτἑ.] Tria vocabula, quae Manetho h. l. Graece interpretatur, eo, quem iis tribuit, sensu, adhuc in monumentis et scriptis Aegyptiorum leguntur. *ΥΚ* in sacra lingua revera *dominum*, *regem* significat. — Champollio Gramm. Aegypt. p. 76. — *ΣΩΣ* in vulgari dialecto (ϣωϣ Coptice) *pastor* est. — Peyron i. v. — et *ΥΚ* vel *ΑΚ* Aegyptiace i. e. in *utraque* dialecto [2]), *vinctum*, *captivum* designat. — Hieratice *hik*, cf. Champollio, Gramm. Aegypt. p. 327, Coptice ϩωκ, Peyron i. v. — Praeterea ex eo, quod dicit *ΣΩΣ* *pastorem* et *pastores* significare, Aegyptiacam se linguam tenere ostendit. In ea enim singularis a plurali non distinguitur. Cf. Peyron, Gramm. Copt. p. 35. Si Hengstenbergio, p. 240, credamus, ex hoc loco apparet Manethonem linguae Aegyptiacae fuisse ignarum.

Τινὲς δὲ αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι] Quinam hi „nonnulli" fuerint certo affirmari nequit. Fuerunt aut qui ante Manethonem hanc Aegypti historiae partem tractaverant, aut sa-

---

1) *Ἱερατικὰ γράμματα*, sive potius *ἱερά*, rursus in *ἱερογλυφικά* (monumentis insculpenda) et *ἱερογραφικά* (papyro inscribenda) dividebantur.

2) Vocem *Αἰγυπτιαστί* h. l. ad utramque dialectum pertinere me monuit Doct. Leemans.

cerdotes, quos in historia conscribenda Manetho consulebat. Quum vero ante Manethonem patriae historiam Aegyptium aliquem conscripsisse nusquam memoratur, neque per se probabile est, altera explicatio mihi quidem magis placet.

ἐν δ' ἄλλῳ ἀντιγράφῳ] Haec verba, puncto superiore anteposito, vulgo Iosepho tribuuntur. Sic editores Iosephi omnes, sic Bunsenius III p. 10, et Boeckhius p. 120. Sed tám arcte cum praecedentibus cohaerent, ut ab iis distrahi omnino nequeant. Qui vulgarem distinctionem retinent, locum sic explicant: „duabus *Aegyptiacorum* editionibus a se invicem hic illic diversis usum esse Iosephum, quarum altera, quam vulgo sequeretur, vocabulum Hycsos explicaret *reges pastores*, altera vero (*ἄλλον ἀντίγραφον*) *pastores captivos*; utramque explicationem cum lectore eum communicandam censuisse, quoniam secundam verisimiliorem et historiae antiquae magis convenientem crediderit.'' Sed primo non probabile est revera alteram Aegyptiacorum recensionem editam fuisse, — cf. prolegom. p. XLII — et minus etiam credibile Iosephum, si forte exstitisset, eam cum priore fuisse collaturum. Sed, quod inprimis animadvertendum, verba ipsa talem interpretationem respuunt. Nam verbum *σημαίνεσθαι* verbo finito unde pendeat caret, et scribendum fuisset, ut interpretum explicatio admitti posset: *Ἐν δ' ἄλλῳ* (*τῶν Αἰγυπτιακῶν*) *ἀντιγραφῷ λέγει* (aut *λέγεται*) *οὐ βασιλεῖς σημαίνεσθαι κτέ*, et *μηνύει* in *μηνύειν* mutandum. Accedit tandem quod observatio *τοῦτο μᾶλλον πιθανώτερόν μοι φαίνεται κτέ.* talis est, qualis Iosepho vix tribui possit. Si contra mecum punctum post *εἶναι* deleveris, omnia recte se habebunt et sensus existet. Dicit Manetho (nam illi verba ista tribuo) postquam vulgarem nominis *Hycsos* significationem exposuit: *Nonnulli vero dicunt eos Arabes fuisse, et in alio exemplari* (carminis heroïci, aut sacri libri) *quam quod mihi ad manum est, nomen* HYC *aliis signis esse scriptum, ita ut significet non* REGES PASTORES *sed contra* PASTORES CAPTIVOS. HYC *enim et* HAC, *aliis literis scriptum Aegyptiace*

quoque CAPTIVUM *est. Et horum interpretatio verisimilior mihi videtur et antiquae historiae ingenio aptior.* Sic omnes difficultates evanescunt [1]). Sed, fortasse quis dubitabit num inscriptionis historicae aut carminis heroïci, (qualia in prolegomenis, quum de Aegyptiacorum fontibus agebam, descripsi,) plura *ἀντίγραφα*, exemplaria, exstiterint, in quibus vocabulum quoddam adeo diverse scriptum esset, ut in uno *regem* et in altero *captivum* significaret. Respondeo revera eiusmodo carminis plura *ἀντίγραφα* in Aegypto fieri solere. Sic e. g. poeticae descriptionis rerum a Rhamese Magno gestarum in parietibus Rhamesei Thebani insculptae *ἀντίγραφον* hierographicum exstat; cf. Champollio Epist. ex Aegypt. script. p. 426. Neque differentia inter syllabam HYC *regem* notantem et HYC *captivum* tanta est, quin ab oscitante librario facile possent confundi. Non levioris erroris plura exempla collatio duorum exemplarium *Libri Mortuorum* [2]) prodit.

Αἰγυπτιαστί] Quantum scio praeter Manethonem nemo hac forma adverbii usus est. Herodotus ceterique omnes *Αἰγυπτιστί* scribunt. Contra *Αἰγυπτίζω* apud bonos auctores perrarum est, pro quo omnes *Αἰγυπτιάζω* scribunt.

καὶ τοῦτο μᾶλλον πιθανώτερόν μοι φαίνεται] Facio cum Manethone, quamquam Perizonius, Heerenius aliique de *regi-*

---

1) Cl. Peerlkampius, Promotor aestumatissimus, me monuit locum recte quoque explicari, si verba *τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι* Iosepho tribuamus ut reliqua omnia usque ad *ἐχόμενον*, et *σημαίνεσθαι* a *λέγουσιν* pendere faciamus, et scribamus *μηνύειν*. Iosephus audire potuit ex aliis, vel ab aliis scriptum invenisse, qui in suo *Aegyptiacorum* evemplo ita tradi testabantur, idque verius esse iudicabant, quia ipsi certo sciebant *Huc* vel *Hac* significare *servum*. Addit Iosephus suum iudicium, et ex sacra Hebraeorum historia confirmari putat Etymologiam. Abruptam Manethonis orationem repetit *τούτους δέ*. Iosephus ex Historia sacra confirmat in fine huius capitis.

2) De libris huiusmodi Aegyptiacis cf. Lepsius, *Das Todtenbuch der Aegypter*. Leipzig 1842. Vorwort.

bus pastoribus, aut *regibus pastorum* semper loquantur. Aptum scilicet totius populi nomen! Mea sententia Aegyptii eos, donec victores erant, *sôs* i. e. pastores nominabant, sed postquam ab Amose devicti erant, probroso adiectivo nomen auxerunt et eos deinde *Hycsos*, *pastores captivos* aut potius *pastores servos*, vocabant. Fortasse nomen explicat pictura, in sellis, in scabellis, in altaribus, in omni supellectilis genere, imo in calceis conspicua, tres vel quatuor barbaros exhibens, barbatos, passis comis, longis palliis vel pellibus vestitos, manibus post terga vinctis. Veri haud ita dissimile est barbaros istos Hycsos designare, et odium Aegyptiorum in eos eiusmodi figuras in calceis depinxisse, ut eos ita pedibus calcarent [1]).

κρατῆσαι τῆς Αἰγύπτου] Vide prolegom. p. XXXIV.

ἔτη πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἕνδεκα] Bunsenius III p. 18 perperam Iosephum ex Africano corrigendum putat. Contra Africanus e Iosepho emendari debet. Vide prolegom. p. XXXIII et infra annot. ad Africani dynastiam XV^{am}.

μετὰ ταῦτα] Multum interest huius formulae vim recte accipi. Quae si ad verbum intelligenda est, inde sequitur e mente Manethonis, aut Iosephi saltem, inter finem dominii pastorum, et regem *Mephra-Touthmosim*, a quo ex Aegypto eiecti sint, intervallum belli diuturni interiacere. Et sic accepit Perizonius Orig. Aegypt. p. 55. Sed non credibile est Manethonem pastorum dominationis finem in eo tempore posuisse, quo primo Thebaïdis reges in istos consurgere inciperent. Tunc vere pastorum imperium finitum dici potuit, quum e tota Aegypto depulsi in Auarim includebantur. Nullus propterea dubito quin 511 anni, quos Aegyptum tenuisse Hycsos dicuntur, a Salate ad Mephra-Thoutmosim numerandi sint. *Μετὰ ταῦτα*, ut *deinde*, *postea*, significat saepe

---

1) Cff. Champollio, *Epist. prim. ad ducem de Blacas*, p. 57, L'Hote, *Epist. ex Aegypt. script.* p. 72.

tempus non accurate definitum. Ita etiam *brevi*, *nuper*, similia e mente scriptoris explicanda.

τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτου βασιλέων] Hoc loco duos saltem in diversis Aegypti partibus reges *συγχρόνους* designari iam annotavi, prolegom. p. LII. Multo plura haud dubie de Aegypti sub pastoribus conditione et de regibus indigenis, qui, etsi tributarii, hic et illic veteris Pharaönum imperii speciem retinuerant, Manetho tradiderat, quam quae excerpsit Iosephus. Ad consilium, quod hic sibi proposuerat, nihil conducebat referre, quin ad pastores, quos Israëlitas esse sibi et aliis persuadere studuit, eorumque Aegypti possessionem pertineret. Ex Africani arido et nudo dynastiarum catalogo nihil novimus nisi in Thebaïde iuxta pastorum reges, semper regnasse Pharaönes, et aliquamdiu praeterea Xoïtas reges in Delta imperium tenuisse. Labente pastorum potestate Xoïtae, qui insulam in Delta habitabant, libertatem quodammodo recuperasse, et cum Thebaïdis incolis se ad debellandos Hycsos coniunxisse videntur. *Βασιλεῖς τῆς ἄλλης Αἰγύπτου* ergo Xoïtarum reges habendi sunt. Cf. infra, annot. ad Africanum.

τόπον ἀρουρῶν ἔχοντα μυρίων τὴν περίμετρον Αὔαριν ὄνομα τῷ τόπῳ] Animadvertendum est hanc Auarim non urbem vocari sed *locum* munitum. Oppidum huius nominis multo minore circuitu erat. Nam locus 10,000 iugerum duplicem ambitum veteris Romae continet. Cf. Bunsenius III p. 11. Totius loci centrum oppidum fuisse videtur, a quo nomen accepit.

τοῦτον — τείχει — περιβαλεῖν] *περιβαλεῖν τόπον τείχει* rara constructio est. Classici auctores *τεῖχος τόπῳ περιβαλεῖν* et *περιβαλέσθαι* dicunt. Utrumque recte dicitur, ut Latine *circumdare urbem moenibus* et *moenia urbi*. Exquisitius videtur *τόπον τείχει*, atque ideo fortasse minus frequens altero.

πανοικεσίᾳ] Hoc quoque vocabulum optimis scriptoribus minus usitatum. Thucydides II c. 16 et III c. 37 *πανοικη-*

σίᾳ dicit, et Herodotus passim *πανοικίῃ*. Idem significant adverbia *πανοικὶ* et *πανοικεὶ*, quae tamen Atticistae respuunt.

φοβουμένους δὲ κτέ.] His nihil auctoritatis tribuendum est, non enim ex antiquo Aegyptiorum scripto Manetho ea accepit, sed coniecit tantum ex iis, quae in Beroso, vel in alio historico (cf. prolegom. p. XLIII.) legerat. Distinguenda omnino sunt quae ex sacerdotum historicis libris refert, ab iis quae aliunde. Quid pastores, postquam Aegypti fines egressi fuerint, fecerint et metuerint, Aegyptii non curabant, neque propterea scripto mandaverunt. Hoc non impedit quominus coniectura ista aliquid tamen veri contineat: Iebusaeos verisimiliter partem *Pastorum* fuisse supra vidimus, et Iebusaei, quo tempore Israëlitae Palaestinam occuparunt, Hierosolyma habitare dicuntur Ios. XV 63. Potest igitur fieri ut Iebusaei, quum ex Aegypto in Palaestinam, Syriam dicit Manetho, demigravissent, hanc urbem aedificaverint; quod tamen ob hanc Manethonis narrationem statuere temerarium est. Cf. Engelstoftius l. l. p. 152.

ὁ ἐκβαλὼν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου βασιλεὺς ΤΕΘΜΩΣΙΣ] Iosephus errat [1]). Non hunc regem pastores eiecisse narraverat Manetho, sed, ut ipse supra recte retulerat, Touthmosem, filium Mephratouthmoseos, septimum regem seriei, quam hoc loco exhibet. Sed praeterea quem ille Tethmosem nominat, a Manethone vocatus erat Amosis, quod confirmat Africanus, apud quem primus XVIII^ae dynastiae rex est. Cum Africano, ut obiter dicam, tabula Abydena ceteraque antiqua monumenta consentiunt. Iosephus in eundem errorem induxit recentiores plures, et inter eos Boeckhium et Champollionem, qui, epist. secund. ad ducem de Blacas p. 47, Amosem (Afric.) quoque Thetmosem (Ioseph.) appellatum esse [2]) censet et pa-

1) Acute hoc vidit et lucide exposuit Marshamus *Can. Chron.* p. 138 sq. qui vero Iosephi errorem non negligentiae sed malae fidei tribuit. Iosephum defendere frustra studet Perizonius, *Orig. Aegypt.* p. 369 sq.

2) Champollio et omnes priores Aegyptologi duo vel tria nomina uni regi tribuere non dubitant. Amosem etiam Tethmosem vocatum

trem habuisse aliquem Mephratouthmosem, quem Africanus propterea non nominaverit, quia ad XVIIam dynastiam pertinuerit, cuius regum nomina omissa sunt.

Iosephum fefellisse videtur ordo, quo huius temporis historiam Manetho exposuerat. Pastorum dominationem primo absolverat, narraverat quomodo a Mephratouthmose eiusque filio essent depulsi, et, tunc demum ad Pharaönes reversus, horum historiam paulo altius repetere debuerat et initium ceperat ab Amose, a quo etiam tabula Abydema incipit. Hoc non observans et, ut solet, negligenter agens, Iosephus regem, quem primum Manetho recenset eundem esse, ac ille, de quo paulo ante egerat, arbitratur, ideoque nomen illius in Touthmosem corrumpit.

Quare Manetho ab eodem Amose, Diospolitarum regum, pastoribus aequalium, historiam describere inceperit, satis liquet: hic enim Memphin ab Hycsos recuperasse videtur. Champollio [1]) in lapicidinis ad Memphin sitis inscriptionem invenit, unde certissimum est Amosem, XXIIo regni anno, ex iis lapides excidisse, quibus templa deorum Phtha, Apios et Ammonis Memphide aedificaret. Amosis itaque Pharaönum imperii instaurator merito dici potuit, etsi illo regnante pastores Delta adhuc occuparent.

ΧΕΒΡΩΝ] Hoc nomen nondum in monumentis repertum est, neque in toichographia Abydena exstat. Differentiae huius tabulae et Manethonis causam explicare plures conati sunt, quorum coniecturas hic non recencebo, quia Manethonem interpretari, non cum monumentis reconciliare suscepi.

---

esse statuunt, Amenophem I Touthmosem quoque, Rhamesem Amenophim et sic porro. Quam incredibilem nominum propriorum confusionem ut ratam faciant, Syncellum citant fabulantem, *reges Aegypti saepius duo vel tria nomina gessisse* (*Chronogr.* p. 63). Gravis auctor scilicet in tali re Syncellus!

1) *Epist. ex Aegypt. script.* p. 65. Gravissima ista inscriptio, nescio quomodo, Bunsenium fugit, quem vide III p. 22.

ΜΗΦΡΗΣ] In annot. critica annotavi fortasse corrigendum esse *ΜΗΧΕΡΗΣ*. Levis mutatio, et necessaria, ni fallor. Nam reginae nomen *Mekere* hieroglyphice scribitur.

ΜΕΦΡΑΤΟΥΘΜΩΣΙΣ] Hunc regem monumenta Touthmosem semper vocant. Sed ut a filio eiusdem nominis eum distingueret Manetho illum Mephra cognominavit. Cur autem hoc potissimum nomine, non liquet.

τοῦ δὲ ΑΜΕΝΩΦΙΣ] Inter Touthmosem, qui pastores ex Auari expulit, et Amenophim, qui triginta annos regnavit, monumenta duo praeterea reges ponunt: Amenophim et Touthmosem nominatos. Quare suspicor, ante verba *τοῦ δὲ ΑΜΕΝΩΦΙΣ κτέ* excidisse; *τοῦ δὲ ΑΜΕΝΩΦΙΣ ἔτη*.... *τοῦ δὲ ΤΟΥΘΜΩΣΙΣ ἔτη*..... Propter nominum similitudinem librarius facile haec omittere potuit. Quoniam in Africani quoque compendio desiderantur, in Aegyptiacorum codice, quo uterque usus est, lacunam iam exstitisse verimile est.

ΑΚΕΓΧΕΡΗΣ] Scripsisse Manetho mihi videtur *ΑΤΕΓΧΕΡΗΣ*, cuiusmodi nomen [1]) gerit regina, Amenopheos III (II apud Manethonem, ut series nunc se habet) filia. *θυγάτηρ* Hori dicitur a Iosepho, sed Iosephum Manethonis mentem non semper recte cepisse iam saepius observavimus.

ΡΑΘΩΤΙΣ] Legendum esse *ΑΘΩΣ* aut *ΑΘΩΤΙΣ* diximus in annotatione critica. Huius nominis regina sorori Atencheri successit.

τοῦ δὲ ΑΡΜΑΙΣ κτέ.] Huc usque vitia a Iosepho et librariis commissa talia erant, quae e monumentis possent emendari. Sed ab hoc inde nomine omnia adeo turbata et depravata sunt ut Manethonis manum non facile restituas. Armaïm Sethoseos fratrem esse non dubium est, — cf. annot. critic. — et tamen inter eos tres reges ponuntur, quorum unus 66 annos regnaverit!

---

1) Nomen hieroglyphice scriptum alii aliter pronunciant. Quominus meae transcriptionis rationem nunc reddam impediunt adnotationis limites, quos transgredi non licet.

At emendandi periculum tamen faciamus. Ut nunc locus se habet, hoc ordine Athotios successores se exceperunt.

Armais	4 ann.	1 mens.	
Rhameses	1 〃	4 〃	
Rhameses Miamum	66 〃	1 〃	
Amenophis . . .	19 〃	6 〃	

Sethosis et Rhamesses cui frater Armaïs.

Rhampses . . . . 66 ann. (alterum fragm. p. 11 l. 10)

Amenophis . . . . plures quam 15 annos.

Sed in iis duo nomina bis posita et in diversa male distincta esse acute vidit Perizonius, Orig. Aegypt. p. 232; eadem utique sunt nomina, idem ordo, idem spatium regni:

Rhameses Miamum . .	66,2.
Amenophis	19,6.
Rhampses	66.
Amenophis plures quam	15 [1]).

Quam vere viderit Perizonius monumenta antiqua docent, quae unum tantum Menophem (Amenophem) et unum tantum Rhamesem, qui 66 annos regnavit, agnoscunt. Quo loco duo haec nomina delenda sint ex ipso Iosepho satis liquet: in altero fragmento enim fusius de posteriorum regum ordine agit, ita ut ibi vitium minus facile irrepere potuerit. Prima sede igitur Rhamesem Miamum et Amenophem deleas. Sed praeterea, ut locus sic emendatus se habet, Armaïs a fratre Setho uno adhuc rege, Rhamese, separatur, quod sine dubio transpositione corrigendum. Quo facto, locus ita se habebit: *τοῦ δὲ ΡΑΜΕΣΣΗΣ ἓν καὶ μῆνας τέσσαρας. τοῦ δὲ ΑΡΜΑΙΣ τέσσαρα καὶ μῆνα ἕνα. τοῦ δὲ ΣΕΘΩΣ κτἑ.*
Egregie sic omnia cum monumentis conveniunt. Si quis

---

1) Sethon, Armaïos fratrem bis quoque enumerat Iosephus, hoc loco et infra p. 11. l. 9. Illius regni annos bis quoque computavit, quod probat summa temporis ab Amose (Tethmose) usque ad Sethon et Armaïn elapsi, vide infra, annot. ad p. 11. l. 5.

vero causam quaerat tantae confusionis nihil, certi quod respondeam habeo. Hoc unum constat eius auctorem ipsum Iosephum esse. Et verisimillimum mihi videtur Manethonem, regum nudis nominibus usque ad Sethon II cum annis regni ordine expositis, tum demum quid quisque eorum memorabile gessisset narravisse; quod sive negligenter agentem, sive mala fide, Iosephum non observasse, eosque reges bis enumerasse. Cf. infra p. 79. Locum magis etiam turbaverunt Africanus et Eusebius, qui sine monumentorum ope certa ratione emendari non potest.

ΑΡΜΑΙΣ] Ante Bunsenium omnes viri docti hoc nomen perperam e *ΡΑΜΕΣΣΗΣ* corruptum opinabantur. Nomen Armaïs neque posteriori aevo inusitatum: eiusdem nominis sacerdos Ammonis commemoratur in primo papyro Taurin. p. 4 (p. 30 edit. Peyr.).

ΣΕΘΩΣΙΣ] In annot. critic. annotare neglexi corrigendum esse *ΣΕΘΩΣ*. Sic scripsisse Manethonem apparet e casibus obliquis *ΣΕΘΩ* et *ΣΕΘΩΝ*. Bunsenii huius nominis derivatio III p. 109 propterea non admittenda est.

ΣΕΘΩΣΙΣ *καὶ* *ΡΑΜΕΣΣΗΣ* *κτέ.*] Neque haec verba sana sunt. *Σ.* *καὶ* *Ρ.* *ἔχων* corruptelam satis arguit. Quibus modis ei mederi conati sint librarii et viri docti in critic. annot. exposui. Mea sententia plura h. l. verba exciderunt. Lacunam post nomen *ΣΕΘΩΣ* (*Σέθωσις*) pono. Addiderat ni fallor Iosephus quot annos ille regnaverit et plura ad illius historiam pertinentia. Verba *καὶ* *῾Ρ.* *κτέ* illud spectare mihi videntur, quod *filius eius* Rhameses eum in expeditionibus militaribus semper comitaretur. Diserte hoc tradunt monumenta, cf. v. c. L'Hote Epistol. ex Aegypt. script. p. 209 sq. [1]). Utut est, vulgaris correctio *Σ.* *ὁ* *καὶ* *῾Ρ.* mendum etiam auget. Nunquam enim Sethos Rhameses cognominari aut a Manethone vocari potuit. Nullum

---

[1]) Male ibi rex Menephta nominatur. Vide Buns. III p. 93.

eiusmodi exemplum in antiquis monumentis, nullum in Africani compendio Aegyptiacorum exstat.

οὗτος τὸν μὲν ἀδελφὸν κτέ.] E tenebris in lucem redimus. Habemus enim rursus h. l. ipsa Manethonis verba. Aliud agens sequentia usque ad p. 10 l. 5 *ἡ δὲ χώρα* maiori litera scribere neglexi.

περιέθηκεν ἐξουσίαν] De *περιτίθεσθαι*, *imponere*, *tribuere* significante cf. Leemans ad Horapoll. l. I. c. 1. p. 119.

διάδημα μὴ φορεῖν] Pharaönes proprium sibi gerebant diadema: Aelianus Nat. Animal. VI. 18. *καὶ τοὺς βασιλεῖς ἀκούω τῶν Αἰγυπτίων ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλμένας ἀσπίδας.* Cf. Horapollo l. I. c. 1. ibique Leemansii annotatio, et Champollio, Enchirid. System. Hierogl. p. 124.

βασιλίδα μητέρα τε τῶν τέκνων] Monumenta hanc reginam *Taouai* vocant, cf. Champollio, Epistol. ex Aegypt. script. p. 274.

βασιλικῶν παλλακίδων] Pellices Pharaönibus fuisse praeter Manethonem nemo veterum tradit. Contra Herodotus l. II c. 92 diserte dicit omnes Aegyptios singulos singulas uxores ducere. Sed cum Manethone monumenta conveniunt. Cf. Wilkinson, de Aegypt. morib. II, p. 62 ab Hengstenbergio p. 211 citatus.

αὐτὸς ἐπὶ Κύπρον κτέ.] Rerum a Setho gestarum accuratam notitiam dant toichographiae, quae in parietibus atrii ab ipso Setho Thebis aedificati depictae sunt, cf. L'Hote Epistol. ex Aegypt. script. p. 209 sq.

δόρατι-ὑποχειρίους ἔλαβε] Rara dictio. Graeci dicunt *δόρατι ἑλεῖν* et *λαβεῖν τινά* *armis aliquem capere*, sed *δ. ὑποχειρίους λαβεῖν* *armis subigere* exemplo caret.

ὁ δὲ τεταγμένος ἐπὶ τῶν ἱερῶν] *Qui sacris praeëst. Τάσσεσθαι* usitatius cum *ἐπί* c. dat. construitur. Strabo l. XVII c. 1. (p. 427 edit. Tauchn.) *ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος.* — Eiusmodi magistratus nisi hoc loco nusquam memoratur. In Aegypto ipse Pharao summus pontifex erat. — Cf. Salvolinius, Analys. Critic. textuum Aegyptiac. p. 143 et 144

annot. — Fortasse Sethos ad Armaïm *βασιλικὴν ἐξουσίαν* tantum detulerat, et alii cuidam rerum sacrarum curam demandaverat. Cf. prolegom. p. XXIV sq.

γράψας βιβλίον] Suidas *βίβλιον, ἡ ἐπιστολή.* Cf. Valesius ad Ammianum Marcell. l. XVI c. 5, 3.

ἡ δὲ χώρα ἐκλήθη.] Sequentia non Manethonis verba, sed Iosephi sunt. Quod arguit illud *λέγει γάρ.* Locum iam tractavi in prolegom. p. XXX sq.

τοὺς ἡμετέρους προγόνους] Iosephus scilicet pastores, qui Aegyptum 511 annos occupaverant, Israëlitas fuisse statuens, Manethonem reprehendit quod parum sibi constans, nunc Israëlitas impuris et leprosis assimulet: quasi Manetho Israëlitas, eodem errore quo ille, cum pastoribus confudisset.

Τὰ μυθευόμενα καὶ λεγόμενα] Cf. prolegom. p. XL sq.

ΑΜΕΝΩΦΙΝ] Sic haud dubie scripsit Iosephus, sed Manetho *ΜΕΝΝΩΦΙΝ* eum nominaverat. Verae scripturae vestigium fortasse p. 13 l. 8 invenimus, ubi omnes codd. *ΜΕΝΝΩΦΙΝ* habent. Hic rex infra dicitur deos videre voluisse, ut Horus unus ex antecessoribus: sed post Horum nullus regnavit Ammophis sed plures quibus nomen *ΜΕΝΝΩΦΙΣ* (Menephtha).

ψευδὲς ὄνομα] *fictam personam.* Non notat Iosephus certi et agniti regis nomen a Manethone corruptum esse, sed ipsum regem insiticium dicit. Quid in eiusmodi locis *ὄνομα* significet recte ostendit Perizonius Orig. Aegypt. p. 125 sq. Eundem infra *ἐμβόλιμον βασιλέα* vocat.

ὁρίσαι μὴ τολμήσας] Suo more h. l. Iosephus hariolatur. Ut supra, p. 77, conieci, Manetho antequam quid sub quoque rege, ab Horo inde usque ad Sethon II, memoratu dignum accidisset, referret, eosdem hos reges cum annis regni ordine exposuerat, ibique Menophi 19 annos et 6 menses adscripserat. Quare nunc, ubi Menopheos res gestas narrat, iterum spatium regni illius designare, putidae diligentiae fuisset. Quod vero quia omisit, Manethonem huius annos regni ex-

primere non *ausum esse* Iosephus contendit. Ob eandem causam *ἐμβόλιμον βασιλέα* et *ψευδὲς ὄνομα* Menophem dicit. Ostendit illud Iosephi *διὰ τοῦτο. Quia rex suppositus est*, regni illius annos Manetho exprimere non audet, opinatur Iosephus, et quia ipsius interest Manethonis narrationem quam maxime suspectam lectoribus reddere, opinionem suam a certis non distinguit. — Si quis putet immerito me Iosephum tantae socordiae et levitatis accusare, legat ille totum libellum contra Apionem, et non amplius, credo, mihi adversabitur.

***ΤΕΘΜΩΣΙΣ** γὰρ ἦν βασιλεύς, ὅτε ἐξήεσαν*] Ex his verbis e. g. confirmabo quae de Iosephi negligentia in praecedenti annotatione praedicavi. Tria nempe mendacia in his sex verbis latent: 1°. Non dixerat Manetho pastores sub primo XVIII^ae dynastiae Africani rege eiectos esse, cf. supra, p. 73. 2°. Neque Tethmosem hunc regem vocaverat, cf. ibidem. 3°. Pastores ab Israëlitis probe distinxerat. Cf. p. 79.

τριακόσια ἐνενηκοντατρία ἔτη] Quomodo hanc summam confecerit non satis liquet. Si omnium regum tempora, ut nunc se habent, computaveris summa eveniet 333 annorum. — Probabilis Marshami coniectura est eum Sethosi, primo loco sine regni annis allato, 60 annos tribuisse; vide Can. Chron. p. 139.

ἔτη $\overline{Ν\Theta}$] Sic Africanus quoque; quare crederem in Aegyptiacorum codice, quo uterque usus sit, hunc numerum iam exstitisse. Sed nihilominus corruptus est. Setho enim, ipso Manethone auctore, quum expeditionem in Asiam suscipiebat, filius iam erat. Regnavit deinde 60 annos, ei mortuo successit filius natu maximus Rhameses, qui 68 annos imperium occupat. Rhameses igitur 130 saltem annos vixisset. Neque Setho diuturnum regnum monumenta tribuunt. Fortasse Manetho scripserat *ΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΝ* $\overline{\Theta}$ *ἔτη*, quod in *ἐβασίλευσε* $\overline{\nu\vartheta}$ facile corrumpi potuit.

ΡΑΜΨΗΣ] Manethonem hunc regum *Rhamesem* nominasse et *Miamum* cognominasse, iam supra vidimus. Cogno-

men agnoscunt monumenta. Cf. Champollio Enchirid. System. Hierogl. p. 269. Confirmant quoque monumenta eum plus quam 60 annos regnasse. In Museo Florentino stela servatur, quae ad annum 62um illius regni pertinet.

ἐμβόλιμον βασιλέα] Vide annot. ad pag. 10 l. 22.

θεῶν γενέσθαι θεατὴν. ὥσπερ ΩΡΟΣ] Spectant haec nimirum mysterium quoddam Aegyptiorum, de quo aliunde nihil cognitum. Fortasse ex eodem mysterio Horus nomen accepit. Unus saltem hic divinum nomen gessit.

ὁμωνύμῳ μὲν αὐτῷ Ἀμενώφει] Regis nomen *Μένωφις* scribendum esse iam vidimus; eodem modo igitur *ὁμωνύμου* nomen corrigendum. — Idem nomen, quod rex, prophetam gerere non est quod miremur. Amabant enim cives Aegyptii eodem nomine vocari, quo rex, sub quo vivebant. Sic v. c. regnante Rhamese Magno, ipsius Menopheos patre, *propheta divinus* item Rhameses vocabatur. Cf. Leemans epistol. ad Salvolinium p. 98 et 38.

πατρὸς δὲ Παάπιος] *Paäpis* sincerum nomen Aegytiacum est; significat *τὸν τοῦ Ἄπιδος, deo Apidi sacrum;* compositum est ex artic. possess. praef. *pa* (Copt. ⲠⲀ, Peyron Gramm. p. 52, et lexic. i. v.) et *api*, Graece *Ἆπις*. Cf. Champollio Gramm. Aegypt. p. 188.

εἰ καθαρὰν ἀπό τε λεπρῶν καὶ τῶν ἄλλων μιαρῶν ἀνθρώπων τὴν χώραν ἅπασαν ποιήσειεν] Populis Orientalibus nemo invisior fuit quam leprosus. Plutarch. Sympos. IV p. 670 *Μάλιστα οἱ βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσιν.* Secundum Herodotum l. I c. 138 Persae diligenter cavebant ne quis lepra aut vitiligine (*λεύκη*) infectus in urbem accederet, neque cum civibus consuetudinem haberet. Idem mos Iudaeis. Lex sacra (Levitic. c. 13 et 14) iubebat leprosum impurum a sacerdotibus indicatum extra castra, a ceteris separatum, habitare. Non mirum itaque Aegyptios quoque leprosos tanquam impuros odisse et ex urbibus removisse. Sues et subulcos horrebant, hanc ob rem quoque, quod qui suillum lac biberit, vitiliginibus et lepra oppleatur. Haec in

memoriam revocanda mihi visa sunt, ne quis parum verisimile credat sacerdotes a Menophe impetrare potuisse, ut tanta hominum multitudo in lapicidinas deiiceretur.

λελωβημένους] Verbum passiv. λωβᾶσθαι significat *iniuria affici*, rarius corpore *mutilari*. Herodot. l. III c. 155 Zopyrum, qui faciem sibi foedaverat et mutilaverat ἄνδρα λελωβημένον vocat. Ex quo huius verbi usu orta est significatio partic. praeter. (λελωβημένος) *leprosi*, quae tamen unice recentioris aevi scriptoribus usitata.

μυριάδας ὀκτώ] Immensa et vix credibilis leprosorum multitudo! Sed tamen tenendum est *lepram peculiare Aegypti malum esse*, ut ait Plinius H. N. L. XXVI c. 1. Et praeterea non solum morbo infecti, sed alii etiam aliam ob causam impuri habiti, pastorum eiectorum reliquiae v. c., in lapicidinas missi videntur: nam, quod recte monet Engelstoftius p. 159, si omnes impuri morbis affecti fuerint, parum ad labores idonei fuissent.

καὶ τούτους εἰς τὰς λιθοτομίας ἐμβαλεῖν αὐτόν] Diodor. Sicul. III c. 12, Οἱ βασιλεῖς τῆς Αἰγύπτου τοὺς ἐπὶ κακουργίᾳ καταδικασθέντας, καὶ τοὺς κατὰ πολεμὸν αἰχμαλωτισθέντας, ἔτι δὲ τοὺς ἀδίκοις διαβολαῖς περιπεσόντας καὶ διὰ θυμὸν εἰς φύλακας παραδεδομένους, ποτὲ μὲν αὐτούς, ποτὲ δὲ καὶ μετὰ πάσης συγγενείας ἀθροίσαντες, παραδιδόασι πρὸς τὴν τοῦ χρυσοῦ μεταλλείαν. Diodori locus optima Manethonis narrationis explicatio est.

τὰς λιθοτομίας τὰς ἐν τῷ πρὸς ἀνατολὴν μέρει τοῦ Νείλου] Easdem Herodotus, l. II c. 124, τὰς λιθοτομίας τὰς ἐν τῷ Ἀραβίῳ οὔρεϊ vocat. Ex horum montium lapidibus omnia fere Aegypti inferioris aedificia constructa sunt.

ὅπως ἐργάζοιντο καὶ τῶν ἄλλων Αἰγυπτίων οἱ ἐκκεχωρισμένοι] Emendavit Holwerda in *Specim. Emendat. Flavian.* p. 162 εἶεν κεχωρισμένοι. Quae correctio adeo certa mihi videtur, ut, si prius mihi innotuisset, non dubitassem eam in textum recipere.

τῶν λογίων ἱερῶν] Vocabulum λογίων Iosephus, ni fal-

lor, e Manethone descripsit. Perperam Bunsenius interpretatur *illustrium sacerdotum* [1]). *Λόγιος*, secundum veteres grammaticos, est, *qui patria instituta interpretari et eloqui potest: historiae et antiquitatis peritus et in ea re facundus.* Quo sensu Herodotus, l. II c. 3, Heliopolitas sacerdotes *λογιωτάτους* Aegyptiorum haberi dicit. Quaeritur vero cur h. l. *λογίους* noster sacerdotes appellet. Necesse est, nisi eum inani epitheto usum dicamus, ut alii sacerdotes merito *λόγιοι* vocentur, alii non item. Et sic revera est. *Τὸ κατ' ἀλήθειαν φιλοσοφοῦν ἔν τε τοῖς προφήταις ἦν καὶ ἱεροστολισταῖς καὶ ἱερογραμματεῦσιν, ἔτι δὲ ὡρολόγοις,* dicit Chaeremon, apud Porphyr. de abstin. l. IV § 8: i. e. quatuor praecipuis sacerdotum ordinibus libri Hermetici XLII, totam Aegyptiorum sapientiam continentes, proprii erant [2]). Hi igitur *λόγιοι ἱερεῖς* sunt; ceteri vero, pastophori, neocori, alii, divino ministerio tantum fungebatur.

ὑποδεῖσθαι — χόλον τῶν θεῶν] Quomodo propheta Menophis deorum iram metuat, quod impuros ex Aegypto eiici iusserit, non intelligo. Quo facto contra apud deos eum gratiam iniisse statuendum.

προσθέμενον εἰπεῖν ὅτι κτέ.] Menophem prophetam futura praedicere non est quod miremur. Talia orientalis historiae colorem referunt.

ταῖς λατομίαις] Corrigendum videtur *ἐν ταῖς λατομίαις.* Quum vero dativi loci nude sic positi nonnulla exempla exstant, nihil mutare ausus sum. Ut poetarum locos mittam — de quibus cff. Matthiae Gramm. Graec. § 406 p. 909 (edit. 3ae), et Madvig. Syntax. ling. Graec. § 45 — apud Plutarchum de Iside c. 62 legitur: *ἐρημίᾳ διέτριβεν,* ubi Wyttenbachius „Forte *ἐν ἐρημίᾳ,*" annotat.

---

1) » Angesehene Priester." III p. 182.

2) Cf. locus nobilissimus Clementis Alexandr. (Strom. l. VI. p. 633) de Aegyptiorum sacris libris. In Inscr. Rosett. l. 6 sq. iidem tantum sacerdotum quatuor ordines diserte nominantur, ceteri omnes uno verbo *οἱ ἄλλοι ἱερεῖς πάντες* dicuntur.

ταλαιπωρούντων] De miseria eorum, qui ad metalla Aegyptiorum condemnati erant, cf. Diodor. Sicul. l. III c. 12.

ἀξιωθεὶς — ἵνα] Vulgo *ἀξιοῦν* cum infinit. iungitur; rarius tamen cum *ἵνα*: Demosth. pro Coron. § 155, p. 279, *ἀξιοῦν ἵνα βοηθήσῃ*, ad quod Schaeferus annotat: „i. q. *ἀξιοῦν βοηθῆσαι*. Notanda constructio, nam est e rarioribus."

πρὸς κατάλυσιν — καὶ σκέπην] *κατάλυσις* h. l. est *deversorium* [1]), ut apud Diodor. Sicul. I c. 61, *καὶ τὰς μὲν τῶν ζώντων οἰκήσεις καταλύσεις ὀνομάζουσιν, ὡς ὀλίγον χρόνον ἐν ταύταις οἰκούντων ἡμῶν, κτέ.* Rarior haec significatio. — *Σκέπη tutamen*, *munimentum*, significat, cf. Wessel. ad Herod. l. I c. 143. Totus locus itaque sic vertendus est: *rogatus rex ut (eam) illis concederet tanquam deversorium et tutamen.*

τὴν τότε τῶν ποιμένων ἐρημωθεῖσαν πόλιν] *Urbem tunc temporis a pastoribus desertam.* *Ἐρημωθείς*, ut *ἔρημος*, cum genit. construitur.

συνεχώρησεν] Quia impuri non ut laborarent solum, sed praesertim ut ab hominum commercio remoti essent, in lapicidinas missi fuerant, nihil obstabat, quominus illis Auarim in deserto extra Aegypti fines sitam habitandam rex concederet.

ἔστι δ' ἡ πόλις — Τυφῶνος] Vide annot. ad p. 3 l. 3.

τὸν τόπον τοῦτον εἰς ἀπόστασιν ἔχοντες] *Hunc locum ad defectionem habentes*, i. e. *locum habentes idoneum*, *ex quo contra Aegyptios rebellare possent.*

νόμον ἔθετο μήτε προσκυνεῖν θεούς] Tali legi nunquam ullus antiquitatis populus obtemperasset. Osarophis — nam hoc sacerdoti Heliopolitae nomen fuisse videtur, vide annot. critic. — Aegyptiorum religionem tanquam idolatriam abhorrens, horum deos colere vetabat, sed ne ullum numen honorarent nunquam suis potuit praecipere.

τῶν μάλιστα ἐν Αἰγύπτῳ θεμιστευομένων ἱερῶν ζώων]

---

[1]) Bunsenius III p. 105 *πρὸς κατάλυσιν* perperam *zur Bearbeitung* vertit.

θεμιστευόμενος h. l. significare videtur *legibus constitutus.* Hesychius *θεμιστευτόν, νομοθετητόν.*

πολυχειρίᾳ] *magna operarum multitudine.* Idem fere h. l. significat quod *πανδημεί*, in notissimo Thucydidis loco, l. I c. 90.

τὰ τῆς πόλεως ἐπισκευάζειν τείχη] Moenia a pastoribus olim Auari circumdata adhuc partim exstabant, partim corruerant. Ea *ἐπισκευάζεσθαι*, *refici*, Osarophis iubet.

προςλαβόμενος μεθ' ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἱερέων κτέ.] Sententia est: *quum e ceteris sacerdotibus et pollutis concilium sibi elegerat.*

ἔπεμψε πρέσβεις] Hoc scire non potuerunt Aegyptii. Tota impurorum prudentia civilis Aegyptiis incognita manere debebat, quia inter eos nullum commercium esse potuit. Quum vero pastores e terra Canaänis eodem tempore reverterentur, verisimiliter coniiciebant coniuratos ab istis auxilium petiisse.

ὑπὸ Τεθμώσεως] Primum XVIII^ae^ dynastiae Africani regem hoc nomine designari ne credas. Tethmosis idem est ac Touthmosis, Mephratouthmoseos successor. Vide annot. ad p. 7 l. 3.

ἐπηγγείλατο] Verbum *ἐπαγγέλλεσθαι* duplicem sensum habet. Significat enim *enuntiare*, *postulare*, ut apud Herodot. l. IV c. 200: *ἐπολιόρκεον τὴν πόλιν, ἐπαγγελλόμενοι ἐκδιδόναι τοὺς αἰτίους τοῦ φόνου τοῦ Ἀρκεσίλεω.* Alibi contra *polliceri* est, ut in loco eiusdem Herodoti l. VI c. 139, *ἦλθόν τε δὴ ἐς τὰς Ἀθήνας οἱ Πελασγοὶ, καὶ δίκας ἐπαγγέλλοντο βουλόμενοι διδόναι παντὸς τοῦ ἀδικήματος.* Utraque significatio nostro loco verbo *ἐπηγγείλατο* inest. Primum periodi membrum *postulandi* sensum requirit: *postulabat ut Auarim proficiscerentur*, secundum vero *pollicendi: pollicebatur se pastorum turbas rebus necessariis instructurum.*

τὰ ἱερὰ ζῶα τὰ πρῶτα μάλιστα ἐν τοῖς ἱεροῖς τιμώμενα] Vocabula *ἐν τοῖς ἱεροῖς* non supervacanea sunt. Significant ea inter sacra animalia, quae in templis habitabant, qualia erant Apis, Mneuis, Mendesius hircus.

τοῖς κατὰ μέρος ἱερεῦσι] *Singulis sacerdotibus*, i. e. iis, quibus singulorum templorum cura mandata erat.

τὰ ξόανα] Quid inter *ξόανον* et *εἰκών* intersit diligenter exposuit Letronnius ad Inscr. Rosett. l. 38 et 41.

τὸν καὶ ΡΑΜΕΣΣΗΝ ἀπὸ Ῥάμψεως τοῦ πατρὸς ὠνομασμένον] Si haec verba non spuria sunt, Manetho, nescio quomodo, errorem commisit. Fieri non potest, ut aliquis Pharaö duo nomina familiae suae propria simul gesserit. Vide quae eadem de re supra disputavi ad p. 8 l. 9.

διαβὰς τοῖς ἄλλοις Αἰγυπτίοις] *Prodiens cum ceteris Aegyptiis.* Eodem modo Thucydid. l. II c. 12: *Βοιωτοὶ — τοῖς λειπομένοις ἐς Πλάταιαν ἐλθόντες τὴν γῆν ἐδῄουν.*

σὺν ἅπαντι τῷ στόλῳ καὶ πλήθει τῶν Αἰγυπτίων] Ne quis opinetur Manethonem significare totum Aegyptiorum populum in Aethiopiam demigrasse, quod falsum, vetat descriptio iniuriarum a Solymitis Aegyptiis inflictarum.

χάριτι γὰρ ἦν αὐτῷ ὑποχείριος ὁ τῶν Αἰθιόπων βασιλεύς] *Χάριτι* opponitur *φόβῳ*, apud Thucydidem l. I c. 9: *Ἅ μοι δοκεῖ Ἀγαμέμνων παραλαβὼν — τὴν στρατείαν οὐ χάριτι τὸ πλεῖον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν ποιήσασθαι.* Hoc loco oppositum est, ut Manethoniana voce utar, *δόρατι* (p. 9 l. 8). Tempore Menopheos revera Aethiopum reges *χάριτι ὑποχειρίους* Pharaönibus fuisse monumenta affirmant. In iis enim tanquam principes Nubiae (sive Aethiopiae) Aegypto submissae, indigenae semper memorantur. Qua de re Champollio Epist. ex Aegypt. script. p. 131: „Memoratu dignum est, omnia Nubiae praefectorum nomina, quot hucusque in monumentis reperi, ad principes indigenas pertinere. Ne militum duces quidem in Aethiopia collocatorum, regnantibus Rhamese Magno totaque eius dynastia, peregrini fuerunt. Unde apparet tunc temporis Nubiam tam arcte cum Aegypto fuisse coniunctam, ut sine periculo Pharaönes potestatem indigenis potuerint mandare.” Titulus horum principum est *regius Aethiopiae filius.*

καὶ πόλεις καὶ κώμας] Unde haec pendeant non liquet.

Cum Havercampio suspicor παρασχών aut simile vocabulum excidisse.

τῶν πεπρωμένων τρισκαίδεκα ἐτῶν] Vox πεπρωμένων arguit peregrinum. Graeci prosae scriptores hoc verbo non utuntur.

πρὸς τὴν — ἀπὸ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἔκπτωσιν] Graeci dicunt ἐκπίπτειν, ἔκπτωσις, τῆς πατρίδος, ἐκ τῆς πατρίδος, *excidere patria.* Num etiam ἀπὸ τῆς ἀρχῆς dubito.

Σολυμῖται.] *Pastores.* Eos Solymitas appellat, quia eos Hierosolyma condidisse putat. Nihil propterea ex hoc nomine colligendum.

κράτησιν] Vocabulum bonis scriptoribus inusitatum, alio sensu in papyris Aegyptiis haud rarum. Cf. Peyron. ad Pap. Taurin. I. p. 49.

τοῖς αὐτοῖς ὀπτανίοις τῶν σεβαστευομένων ἱερῶν ζώων χρώμενοι διετέλουν] Verba haec corrupta frustra interpretantur viri docti. Praeeunte Hemsterhusio ad Thom. Mag. p. 592 vulgo vertunt: *iisdem* (ξοάνοις) *utebantur ad assandas carnes animalium sacrorum*, *quae cultu divino afficiebantur.* Quam explicationem nec constructio loci fert, nec significatio vocis ὀπτάνιον, quod nihil aliud est nisi *culina.* Perperam enim ex Hesychio v. πύρδαλον Hemsterhusius petit significationem *sarmenta ad assandum igni iniecta*, probante Stephani Lexico, i. v. Etiamsi, quod in promtu est, pro ὀπτανίοις legatur ὀπτανοῖς, *carnes assae*, offendit additum αὐτοῖς. Videant acutiores.

λέγεται δέ κτέ.] Manetho, quod bene animadvertendum, historiam rebellionis leprosorum tanquam certam narrat; quam tamen ad Iudaeorum exitum pertinere non ipse statuit, sed alios statuere tradit. Ad hoc discrimen quum non attenderint interpretes, putarunt Manethonis fidem tolli, nisi credamus Aegyptiorum annales de Iudaeorum exitu talia retulisse. Sed ita sine iudicio ageremus. Utrum impuri isti Iudaeorum patres fuerint nec ne, nos multo melius quam Manetho eiusque aequales diiudicare possumus. Quae igitur ex antiquis fontibus retulit

grato animo accipimus, coniecturas vero illius et aliorum in medio relinquimus.

Historia leprosorum variis internis argumentis defenditur. Si Manetho, aut alius ante eum, narrationem illam finxisset odio in Iudaeos, ut vulgo statuunt [1]), motus, non Osarophim appellasset leprosorum legislatorem, sed Mosem, neque eodem nomine Pharaönem et prophetam Menophim (Amenophim) nominasset. Praeterea quae de situ lapicidinarum, deque Aethiopiae conditione politica narrantur, et plura eiusdem generis, certissima veritatis indicia sunt. Neque Manetho solus est, qui huius rebellionis mentionem facit. Exstat in Diodori Bibliothecae libro primo traditio, quam a sacerdotibus accepit, in qua eiusdem facti vestigia latent. Traditio illa pertinet ad oppidum sive potius castellum [2]) Babylonem, ad Bubasticum flumen in nomo Heliopolite situm. Conditum fuerat, ut nomen iam indicat, a Persis Aegyptum tenentibus; quod confirmat Iosephus Archaeol. l. II c. 5, ubi narrat Israelitas, quum ex Aegypto exirent, iter fecisse iuxta Latopolim tunc desertam, *Βαβυλὼν γὰρ*, addit, *ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον.* Hoc, ut fere omnia, quae ad Persarum dominationem pertinebant, ignorantes sacerdotes Diodoro narrabant: Sesoösem (Sesostrem, Rhamesem Magnum), quum ex Asia, quam fere totam subegisset, reverteretur, immensam captivorum multitudinem secum duxisse, inter quos multos fuisse Babylonios; horum captivorum manibus eum templa per totam Aegyptum aedificasse, canales fodisse aliosque plures labores perfecisse; *τοὺς δὲ*, sic pergit (c. 56), *ἐκ τῆς Βαβυλωνίας ἁλόντας ἀποστῆναι τοῦ βασιλέως, μὴ δυναμένους φέρειν τὰς ἐν τοῖς ἔργοις ταλαιπωρίας· οὓς καταλαβομένους παρὰ τὸν ποταμὸν χωρίον καρτερὸν, διαπολεμεῖν τοῖς Αἰγυπτίοις καὶ τὴν σύνεγγυς χώραν καταφθείρειν· τέλος δὲ, δοθείσης ἀδείας*

---

[1]) Perizon. *Orig. Aegypt.* p. 429, Hengstenb. p. 269.

[2]) *Φρούριον ἐρυμνόν* vocat Strabo l. XVII p. 447 edit. Tauchn.

αὐτοῖς, κατοικῆσαι τόπον, ὃν καὶ ἀπὸ τῆς πατρίδος Βαβυλῶνα προσαγορεῦσαι. In hac traditione Babylonii ideo unice vocantur, ut nominis oppidi, Babylonis, origo explicetur; quod si a ceteris secernimus, eadem universe narrantur, quae a Manethone accepimus: idem omnino tempus designatur (Rhameses enim pater Menopheos fuit), eandem Aegypti partem rebelles occupasse dicuntur, et eandem ob causam rebellare incipiunt. Neque mirum est sacerdotes Diodoro cladem multo minorem retulisse, quam revera fuerat. Nullus enim antiquitatis populus calamitates suas libens fatebatur. Ex ista Diodori narrationis cum Manethone comparatione discimus praeterea quinam isti impuri fuerint. Supra iam obiter observavi non omnes leprosos esse potuisse, sed nunc intelligimus fuisse captivos pastores aliosque, quorum ingens multitudo per totam Aegyptum supererat: fere ut recentiori aevo, postquam Mauri Hispaniam pacto reliquerant, multi tamen eorum hic illic remanserunt. Hos omnes ex Aegypto eiici reipublicae et magis etiam religionis intererat, et propterea Menophis eos, sacerdote quodam suadente, undique colligi et in lapidicidinas mitti iubet. Hi vero multitudine pollentes bellum adversus dominos incipiunt, eosque, nomadum peregrinorum auxiliis aucti, aliquamdiu opprimunt, donec tandem ab iis vicissim vincuntur et in Syriam eiiciuntur. Haec omnia vera Manetho tradidisse mihi videtur. Sed quum opinatus est rebelles illos Iudaeorum patres fuisse, nonnulla iis tribuit, quae Iudaeis propria sunt. Sic e. g. Osarophim tres leges coniuratis imposuisse fingit, quales Iudaei praecipue observabant. Utrum merito leprosi cum Israelitis comparentur decernere non audeo, neque ad interpretationem huius loci pertinet.

τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς νόμους αὐτοῖς καταβαλόμενος] qui iis *administrationis civitatis et legum auctor erat.* Eodem sensu verbo *καταβάλλεσθαι* utitur Strabo l. XVII p. 498, edit. Tauchn. *Ἀρίστιππος — ὅστις καὶ τὴν Κυρηναϊκὴν κατεβάλετο φιλοσοφίαν.*

ἀπὸ τοῦ ἐν Ἡλίου πόλει θεοῦ Ὀσίρεως] Heliopoli ante omnes cultum esse Solem, Ra, nomen urbis praedicat. Ibidem tamen Osirim quoque egregie honorari apparet ex eo, quod sedes fuerit Mneuidis, tauri Osiridi sacri. Cf. Plutarch. de Iside, c. 33.

ὅτι μετὰ ταῦτα ἐπῆλθεν ὁ Ἀμένωφις κτέ.] Multo fusius Menopheos reditum descripsisse Manethonem certum est; quae excerpere satis duxit Iosephus.



ANNOTATIO

AD

AEGYPTIACORUM COMPENDIA.



Primus Aegyptiorum deus etc.] Deorum mythicum regnum secundum ἀναγραφάς noster exposuit. In iis de illa re actum fuisse testantur Plutarchus, de Iside c. 38: **ἐν μέντοι ταῖς διαδοχαῖς τῶν βασιλέων ἀναγράφουσι τὴν Νέφθυν Τυφῶνι γημαμένην, πρώτην γενέσθαι στεῖραν κτέ.** et Diodor. Sic. I. c. 44: **Μυθολογοῦσι δὲ αὐτῶν (Αἰγυπτίων) τινὲς τὸ μὲν πρῶτον ἄρξαι τῆς Αἰγύπτου θεούς τε καὶ ἥρωας ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν μυρίων καὶ ὀκτακισχιλίων, καὶ θεῶν ἔσχατον βασιλεῦσαι τὸν Ἴσιδος Ὧρον.** Neque dii reges desiderantur in ἀναγραφῇ Taurinensi, cf. Bunsenius I p. 84. — Syncellus p. 19 quoque deorum dynastiam ex Eusebio, ut videtur, Graece descripsit, sed eam tot additamentis et mutationibus tamque foede corrupit, ut nisi Armeniaca Eusebiani Chronici versio reperta fuisset, eam totam ut spuriam et a Syncello excogitatam reiicere deberemus. Hengstenbergius p. 238, Syncelli catalogum Manethoni tribuens, plura inde argumenta petit, quibus illius fidem et peritiam labefactet.

Vulcanus — ex eo Sol] Sol, i. e. Ra, filius Vulcani, i. e. Phtha revera fuit. Vide Bunsenium I p. 455. — Cf. quoque Diodorus l. I c. 13: *ἔνιοι τῶν ἱερέων φασὶ πρῶτον Ἥφαιστον βασιλεῦσαι, πυρὸς εὑρετὴν γενόμενον κτἑ.*

Agathodaemon] Aegyptiace *Nou*, *Kneph*, vide Champollionem, Enchirid. System. Hierogl. p. 145.

Saturnus] Aegypt. *Seb.* Dii quorum nomina sequuntur e Saturno omnes orti sunt. Eorum mythos e turbido fonte narravit Plutarchus de Iside c. 12 sq.

Typhon] Aegypt. *Seth.*

Orus, Osiridis et Isidis filius] *Ὧρος, ὁ τῆς Ἴσιος καὶ Ὀσίριος υἱός.* Inscr. Rosett. l. 26.

Bytin] Qualis deus aut heros ille fuerit non liquet. Fortasse eum designat Iamblichus de Myster. Sect. VIII § 5 (apud Zoëgam de obelisc. p. 49): *Ὑφηγήσατο δὲ καὶ ταύτην τὴν ὁδὸν Ἑρμῆς, ἡρμήνευσε δὲ Βίτυς* (in al. codd. *Βῖτις*) *προφήτης Ἄμμωνι βασιλεῖ κτἑ.*

Summa temporum etc.] Quid de deorum heroumque dynastiis cogitandum sit incertum est. Hoc tamen constat Manethonem hac in re quoque *τῶν ἀναγραφῶν* auctoritatem esse secutum.

DYNASTIA I.

ΜΗΝΗΣ Θινίτης.] This, unde oriundus Menes h. l. dicitur, antiquum oppidum fuit, prope Abydum situm, cuius mentionem Ptolemaeus et Stephanus Byzantinus soli faciunt. Urbem adeo incognitam sedem imperii Aegypti olim fuisse merito miratur Champollio, Aegypt. sub Pharaönibus I. p. 253. Sed Menes Thinites genere quidem dicitur, de sede regni vero nihil affirmatur. Aliunde contra accepimus ipsum Menem urbem Memphim aedificasse, eoque sedem imperii transtulisse [1]. Quod, ni fallor, noster quoque narraverat,

---

[1]) Herodot. l. II c. 99.

sed omisit Africanus. Nam de sequenti rege annotatum est eum regia palatia sibi Memphi aedificasse, qui inutilis labor fuisset nisi huius dynastiae reges in hac urbe habitavissent.

ὃς ὑπὸ ἱπποποτάμου διαρπαγεὶς διεφθάρη [1])] Eandem haud dubie historiam aliter narrat Diodor. Sicul. I c. 89: *Φασί τινες τῶν ἀρχαίων τινὰ βασιλέων, τὸν προσαγορευόμενον Μηνᾶν, διωκόμενον ὑπὸ τῶν ἰδίων κυνῶν, καταφυγεῖν εἰς τὴν Μάριδος καλουμένην λίμνην, ἔπειθ' ὑπὸ κροκοδείλου παραδόξως ἀναληφθέντα, εἰς τὸ πέραν ἀπενεχθῆναι. τῆς δὲ σωτηρίας χάριν ἀποδιδόναι βουλόμενον τῷ ζώῳ πόλιν κτίσαι πλησίον, ὀνομάσαντα Κροκοδείλων κτέ.* [2]) — In pluribus traditionibus, quas Diodorus a sacerdotibus accepit, vetus quidam mythus cum urbium originibus false componitur [3]). Idem in hac narratione accidit. Sed si mythum per se spectamus nullus dubito quin Diodorus h. l. Manethoni anteponendus sit, siquidem recte Manethoniana excerpserit Africanus.

ΑΘΩΘΙΣ — ὁ τὰ ἐν Μέμφει βασίλεια οἰκοδομήσας] Palatia ista aedificare incepit Athothis, sed non perfecit. Mos erat Pharaönibus talia aedificia semper augere. Hephaesteum Memphios e. g. a Mene iam conditum dicitur, sed nullus fere Pharaö fuit, qui illud non amplificaverit aut ornaverit. Tempore dominationis pastorum palatia Athothios verisimiliter devastata sunt, sed more Aegyptiorum eodem loco deinde instaurata ab Amose eiusque successoribus [4]), Strabo, quum

---

1) Ubi Africanus et Eusebius eadem diversis verbis tradunt, illius verba illustrare praefero.

2) E Diodoro eadem narrat Stephanus Byz. v. *Κροκοδείλων πόλις*, ubi vero regis nominis prima tantum pars *Μαν....* in codd. exstat, quam perperam Bunsenius II p. X in *Μάνδης* terminat.

3) Cf. supra, annot. ad fragm. p. 15 l. 16.

4) Templa saltem iuxta regia palatia posita refecit Amosis. Vide Champollionem, Epist. ex Aegypt. script. p. 65.

Aegyptum visitabat, Memphi palatia vidit, sed iam deiecta et desolata (l. XVII p. 449 edit. Tauchn.). Ex eo discimus ea fuisse posita ἐφ' ὕψους, καθήκοντα μέχρι τοῦ κάτω τῆς πόλεως ἐδάφους. Quae verba, si cum Diodori quadam relatione componimus, egregie palatiorum situm explicant, et praeterea totius Memphios topographiam illustrant. Locus Diodori hic est, l. I c. 50: ῥέοντος τοῦ Νείλου περὶ τὴν πόλιν καὶ κατὰ τὰς ἀναβάσεις ἐπικλύζοντος, ἀπὸ μὲν τοῦ νότου προεβάλετο (Memphios conditor) χῶμα παμμέγεθες, πρὸς μὲν τὴν πλήρωσιν τοῦ ποταμοῦ προβλήματος, πρὸς δὲ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς πολεμίους ἀκροπόλεως ἔχον τάξιν. Illud χῶμα idem esse quod ὕψος Strabonis sponte intelligitur. E duabus partibus igitur Memphis constabat, ex acropoli, in loco altiori aedificata, et ex urbe inferiori, quae rursus in duos vicos divisa fuisse videtur: tres saltem Memphios partes distinguit Thucydides l. I c. 104.

In inscriptionibus hieroglyphicis et apud plures Graecorum historicos [1]) memoratur Memphios ita dictum λευκὸν τεῖχος. Perperam hoc nomen vertunt Champollio [2]), Salvolinius [3]) ceterique interpretes *vicum albi muri*. Significat enim *castellum album*, et idem est atque acropolis Diodori. Notum est τεῖχος significare *partem quamcunque urbis moenibus inclusam*, — Goellerus ad Thucyd. l. VI c. 69 — quo sensu v. c. reperiuntur τὸ Μιλησίων τεῖχος apud Strabonem l. XVII p. 439, edit. Tauchn., quod ipse paulo infra interpretatur κτίσμα τῶν Μιλησίων; et Athenis τὸ Πελασγικὸν τεῖχος, apud Herodot. l. V c. 64 aliosque. Quare castellum illud *album* cognominatum sit incertum est: verisimiliter vero propter colorem lapidis, ex quo moenia constructa erant [4]).

---

1) Thucyd. l. I c. 104; Herod. l. III c. 91; Diodor. l. XI c. 74, 75, 77.

2) Gramm. Aegypt. p. 934.

3) Exped. Rhamesis M. adv. Chetas, p. 111.

4) Cf. Scholiasta Thucyd. l. I c. 104. Oppidum *Amida*, obsessione Saporis notissimum, a Turcis cognominatur *Kara* i. e. *atra*, propter

Λευκὸν τεῖχος idem esse quod acropolin Diodori supra contendi, cuius opinionis argumenta nunc addam. Diodorus diserte tradit acropolin sitam fuisse in aggere adversus Nilum obiecto, et *λευκὸν τεῖχος* quoque flumini adiacuit. Apparet illud e Thucydid. l. l. ubi leguntur: *τοῦ τε ποταμοῦ κρατοῦντες καὶ τῆς Μέμφιδος τῶν δύο μερῶν, πρὸς τὸ τρίτον μέρος, ὃ καλεῖται Λευκὸν τεῖχος, ἐπολέμουν.* Nam quid significant *τοῦ ποταμοῦ κρατοῦντες*, nisi eos *λευκὸν τεῖχος* e flumine quoque aggredi potuisse? Idem manifestius etiam sequitur e Diodori descriptione belli inter Achaemenem Persarum ducem et Inaro, regem Aegypti (l. XI c. 71—77): Persae enim post cladem in *Λευκὸν τεῖχος* inclusi, ab Atheniensibus et Aegyptiis per totum annum obsidentur, donec tandem Persarum *classis* ad Memphim pervenit.

In *Λευκῷ τείχει*, ut illuc redeam, condita ergo fuerunt regia palatia. Ibidem quoque exstabant templa Apidis et Vulcani[1]), quorum posterius a Mene ipso conditum esse narrat Herodotus l. II c. 99. Tempore Persarum ibi ingens praesidium, 120,000 capitum, collocatum erat, ni fallit Herodotus l. III c. 91, unde patet quam spatiosum castellum fuerit.

οὗ φέρονται βίβλοι ἀνατομικαί, ἰατρὸς γὰρ ἦν] Anatomia utrum multum valuerint veteres Aegyptii, nec ne, diu dubitabant viri docti. Nostro vero tempore ex artis operibus in Aegypto repertis merito effecerunt anatomiae eos haud mediocriter fuisse peritos. Cff. Zoëga de obelisc. p. 256 et Creuzerus Comm. Herodot. I p. 25. — Fortasse ad Athothim referenda, quae Eustathius, ad Odyss. *Δ* 228, de *Thoni* Homerico tradit; ut arbitratur Perizonius

---

colorem moenium; vide Gibbonem, Histor. labentis et cadentis imperii Rom. c. 19 annot. 56. Ob similem causam portus quidam maris Rubri *λευκὸς λιμήν* vocatur: montes enim adiacentes albi apparent. Cf. Letronne, Corp. inscript. Graec. in Aegypt. repert. I p. 179.

1) Cf. Leemans, Epist. ad Salvolinium, p. 139.

Orig. Aegypt. p. 180. Annotavit nempe inter alia scholiasta: *Thonim fuisse Regem, medicinae apud Aegyptios inventorem, a quo nomen accepisse primum Aegyptiaci anni mensem Thoth.* Quamvis enim certum est a deo, non a rege nominatum esse mensem Thoth, tamen similitudo nominis facit ut potius de Athothi quam de Thoni illud dictum accipiamus. — Quum Athothis Menios filius dicatur, illius nomen apud Aelianum de Nat. Animal. l. XI c. 40 latere putat Bunsenius II p. 46, ubi ex Apione traditur quid *κατὰ τὸν Οἴνιδα* (*κατ᾽ ΑΤΩΘΙΔΑ*, Buns.) acciderit. Sed haec omnia incerta sunt.

οὗτος τὰς περὶ Κωχώμην ἤγειρε πυραμίδας] Nusquam, praeter h. l., locus Aegypti Cochome nomine memoratur. Bunsenius II p. 51 illud cum *kṓs-kam*, vico prope Antaeopolim sito, componit.

DYNASTIA II.

Secundam dynastiam tertiae *συγχρόνον* fuisse statuit Bunsenius II p. 65 sq. quam opinionem refutatam vide in prolegom. p. LIII sq.

ἐφ᾽ οὗ χάσμα κατὰ Βούβαστον ἐγένετο] „Terrae motus semper rari in Aegypto fuerunt. Agathias Histor. p. 52 tradit secundum nonnullos physicos *nunquam* in Aegypto terrae motum accidisse; Eusebius, Chron. Graec. p. 42 l. 25, *τῆς Αἰγύπτου σειομένης παρ᾽ ἔθος* dicit; et Plinius l. II c. 82, *Ideo Galliae et Aegyptus minime quatiuntur, quoniam hic aestatis causa obstat, illic hiems.*" Letronne, de statua Memnonis sonora p. 26. Non mirum igitur tam rari casus memoriam servasse Aegyptiorum annales.

ἐφ᾽ οὗ οἱ βόες Ἆπις ἐν Μέμφει καὶ Μνεῦις ἐν Ἡλιουπόλει καὶ ὁ Μενδήσιος τράγος ἐνομίσθησαν εἶναι θεοί] De Apide et Mneuide omnia satis nota sunt. De hirco Mendesio item, sed de huius nomine, propter Herodoti locum l. II c. 46, error adhuc viget, quem obiter tollere operae pretium mihi videtur. Locus, quem specto, hic est: *σέβονται*

δὲ παντας τοὺς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τοὺς ἔρσενας τῶν θηλέων· — ἐκ δὲ τούτων εἷς μάλιστα, ὅστις, ἐπεὰν ἀποθάνῃ, πένθος μέγα παντὶ τῷ Μενδησίῳ νομῷ τίθεται. Καλέεται δὲ ὅ τε τράγος καὶ ὁ Πὰν Αἰγυπτιστὶ Μένδης. Ex his omnes antiqui et recentiores interpretes effecerunt hircum ab Aegyptiis vocari *Mendes*. Sic Nonnus (apud Iablonsk. Panth. Aegypt. I p. 272): Τὸν Πᾶνα Μένδητα καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι, διὰ τὸ καὶ τὸν τράγον τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ Μένδητα καλεῖν. Auctor Etymol. Magn. in voce Μενδήσιος: Μένδης λέγεται παρ' Αἰγυπτίοις ὁ τράγος. Suidas, in voce Μένδην: Οὕτω καλοῦσι τὸν Πᾶνα Αἰγύπτιοι, ὡς τραγοπρόσωπον, τῷ καὶ τὸν τράγον τῇ αὐτῶν διαλέκτῳ οὕτω καλεῖν. Graecos sequuntur Vossius de orig. et progr. Idol. III 74, p. 1131. Bochartus Hieroz. pars I lib. II c. 52, p. 641, Iablonsk. I p. 273, (qui tamen Herodotum errasse confitetur); Hengstenbergius, libelli saepius laudati p. 214, alii.

Sed constat neque in libris Copticis neque in sacra monumentorum dialecto vocabulum *Mendes*, aut eiusmodi quidquam, *hircum* significare, ita ut, si interpretes Herodoti mentem recte ceperint, manifesti erroris hic convictus sit. Sed de hoc ipso dubito. Mea sententia ὁ τράγος, qui particulis τε — καί cum Pane arctissime coniungitur, non quivis hircus est, sed ille εἷς μάλιστα τιμώμενος, de quo paulo ante sermo fuerat. Sic nihil aliud Herodotus dixerit, nisi hircum, deo Mendeti ante omnes sacrum, eodem nomine, quo ipse deus, ab Aegyptiis vocatum esse. Quod quamvis praeterea nemo veterum affirmet [1]), tamen Aegyptiaci cultus ingenio satis defenditur. Vacca deae Ἄθυρι (Plut. de Is. c. 56) inprimis sacra eodem modo Ἄθυρι vocabatur; Hesychius: Ἀθὺρ μὴν καὶ βοῦς παρὰ Αἰγυπτίοις. Neque aliter explicandus Ste-

[1]) Nisi fortasse Plutarchus de Iside c. 73, ubi legitur.... αὐτὸς ὁ Ἆπις (καὶ ὁ Μένδης), οὕτω δὴ γὰρ τὸν ἐν Μένδητι τράγον καλοῦσι. Verba uncis inclusa in codd. desiderantur.

phani Byz. locus (i. v. *Βούβαστος*): *οἱ δὲ Αἰγύπτιοι Βούβαστον τὴν αἴλουρόν φασι.* Nam illa *αἴλουρος*, quae viva deae Bubasti imago habebatur, solum *Βούβαστος* ab Aegyptiis audiebat. De divino nomine *Mendes* cf. Bunsenius I p. 441.

Tria ista animalia iam remotissimis aevis ab Aegyptiis sacra habita fuisse monumenta comprobant. An vero Caeëchos huius cultus auctor fuerit non decernunt.

ἐφ' οὗ ἐκρίθη τὰς γυναῖκας βασιλείας γέρας ἔχειν] Plures in Aegypto regnasse feminas docent monumenta et Diodor. Sic. l. I c. 44, qui refert *quinque* reginas Aegypto olim praefuisse. Memorabile autem est in nulla antiqua regum serie, neque in toichographia Abydena, neque in Thebana, ullam reginam inter reges memorari, quamquam certo scimus tales tunc temporis revera regnum obtinuisse. Sic in tabula Abydena omissae sunt Amesses, Macheres et Athethes, quae loco fratrum minorum in Aegypto regnaverant, quaeque in Manethonis compendiis suo loco commemorantur.

ἐφ' οὗ μυθεύεται τὸν Νεῖλον μέλιτι κεκραμένον ἡμέραις ἕνδεκα ῥυῆναι] Designatur haud dubie extraordinaria aquae coloris mutatio. Cf. Bunsenius II p. 104, et, quem citat, Hengstenbergius p. 104.

ὃς ὕψος εἶχε πηχῶν ε', παλαιστῶν γ'] Vide prolegom. p. XXXVII.

DYNASTIA III.

Μεμφιτῶν βασιλέων] Quomodo Thinitis successerint Memphitae incognitum est. Verisimile mihi videtur primum huius dynastiae regem ultimi praecedentis generum fuisse, eique successisse quum ei filius non esset.

ἐφ' οὗ Λίβυες ἀπέστησαν Αἰγυπτίων κτέ.] De fonte, unde haec Manetho hauserit, vide prolegom. p. XLII. Ceterum Libyes, aut potius nonnullas Libyae gentes nomades, tam remoto aevo in Aegyptiorum potestate fuisse unus Manetho tradit. Utrum recte, ex antiquis monumentis solis diiudicari

poterit; non inauditum saltem est barbaros, si luna iis quodammodo laborare visa sit, ita territos fuisse, ut sponte se dediderint. Similia exempla multa in historia Graecorum et Romanorum inveniuntur. Legimus e. g. apud Herodotum l. I c. 74, Lydos et Medos, quum olim bellum gererent, subito deficiente sole, adeo territos esse, ut bellum componerent.

οὗτος Ἀσκληπιὸς Αἰγυπτίοις κατὰ τὴν ἰατρικὴν νενόμισται] Aegyptiorum deus, quem Graeci cum Aesculapio suo conferebant, non Sesorthus aut eiusmodi quid sonabat, sed *Imouth;* ut apparet e papyro Graeco, a Letronnio, Corp. inscript. etc. p. 9, laudato, in quo legitur *Ἀσκληπιός, ὅ ἐστιν Ἰμούθ* [1]). Hoc ignorare Manetho non potuit. Quare eius verba sic explicanda videntur: Sesorthus, ob merita in medicinam, non minoris ab Aegyptiis aestimabatur, quam apud Graecos Aesculapius. Tenendum semper est nos non ipsius Manethonis verba sed epitomen eorum parum accuratam habere.

καὶ τὴν διὰ ξεστῶν λίθων οἰκοδομίαν εὕρατο] Antiquissima Aegyptiorum architecturae monumenta, pyramides aliquot in Thebaïde sitae, e rudibus lapidibus, aut e coctilibus laterculis constructa sunt. Pyramides contra a quartae dynastiae regibus positas ex quadratis lapidibus aedificatas fuisse apparuit. Cf. Bunsenius II p. 84.

ἀλλὰ καὶ γραφῆς ἐπεμελήθη] Quamnam Sesorthus curam scripturae impenderit decerni nondum potest. E paucissimis monumentis, quae ad antecessorum illius regnum pertinere videntur, satis liquet *sacram scripturam* ab eo non adeo mutatam esse posse. Ex accuratiori tantum monumentorum huius temporis observatione quaestio illa aliquando poterit illustrari.

Non possum quin h. l. obiter animadvertam, quam plane eadem Africanus et Eusebius de hoc rege tradant. Dubitare non licet quin Manetho Sesorthi merita in medicinam, ar-

---

1) Cff. Iablonskius, *Panth. Aegypt.* III p. 193, Bunsenius I p. 469.

chitecturam et scripturam multo uberius exposuerit, et tamen Eusebius Manethoniana in eadem omnino verba, atque Africanus, contrahit. Quod fieri nunquam potuit, si Eusebius ipsa *Aegyptiaca* ante oculos habuisset, ut nonnulli voluerunt; cff. quae hac de re supra, prolegom. p. LXIX, disputavi.

De reliquis tertiae dynastiae regibus nihil annotatum est. Eorum nomina partim iam in antiquis circum pyramides sepulcris, prope pagum Gizeh, reperta sunt, de quibus egit Bunsenius II p. 106 sq. et XI sq; et uberius, speramus, aget Lepsius in libro mox prodituro *de Aegyptiorum regibus monumentorum cum Manethonis collatis.* Vide prolegom. p. X.

DYNASTIA IV.

Ex nulla dynastia manifestius Manethonis chronologiae praestantia patet, quam ex hac ipsa, de qua nunc agimus. Nam quum pyramidum conditores, secundum Herodotum et Diodorum, post Troiani belli tempora regnasse vulgo putantur, unus Manetho eos viginti saecula prius vixisse tradit, et inter quartae dynastiae reges ponit. Non mirum est antiquiores eruditos, et inter eos praecipuum Perizonium [1], quibus Manethonis auctoritas nondum stabilita erat, tantam antiquitatem eiusmodi *exstructionum miraculis*, ut ea merito vocant, abrogasse, et absurdum censuisse remoto illo tempore tantas operum moles factas praedicari. Et tamen unus Manetho vera retulerat. Quum ante hos decem annos Anglus quidam *Vyse* pyramides accuratissime ubique perscrutabatur, reperta tandem sunt conditorum nomina lapidibus inscripta, et haec nomina eadem sunt, quae Manetho in quarta dynastia tanquam pyramidum auctores enumerat [2].

---

1) *Orig. Aegypt.* p. 436 sq.

2) Cf. Lepsii Epistola in opusculo Lenormantii *de sarcophago Mycerini* (Paris. 1839 4^{0}.), p. 44 sq.

Praeterea toichographia Abydena unum eorum, Mencherem, in idem tempus refert ac Manetho, ita ut dubitare non amplius liceat, utri hac in re, Herodoto an Manethoni, fides sit habenda [1]).

Sed non solum quod ad aetatem horum regum sed etiam quod ad ordinem, quo sibi successerint, Diodorus et Herodotus a Manethone discrepant, ut patet ex sequenti tabula comparationis:

Manetho.	Herodotus l. II c. 124 sq.	Diodor. I c. 63 sq.
1. Soris (Sophris).	2. Chephren.	2. Cephren sive Chabryis.
2. Suphis.	1. Cheops.	1. Chembes.
3. Suphis.		
4. Mencheres.	3. Mycerinus.	3. Mycerinus [2]).

Quum vero in una re Manethonem praeferendum esse iam pateat, Bunsenius Herodotum in altera sequi non debebat [3]). Equidem etiam hic Nostri relationem praestare et a monumentis postea confirmatum iri arbitror. Duplicem *Suphim*, ut Noster, sic monumenta quoque agnoscunt; cf. Lepsius apud Lenormantium, l. l. p. 46. Pro *ΣΩΡΙΣ* legendum mihi videtur *ΣΩΦΡΙΣ*, quod annotare, nescio quomodo, supra neglexi.

---

1) Hengstenbergius hoc inventum non magni momenti ad persuadendum Manethonis obtrectatoribus esse censet. In annot. ad calcem p. 252 illud tantum commemorat.

2) Litera prima in nominibus *Suphis* et *Sophris* Aegyptiace proprie sonat *k* sive *ch*, sed posteriori aevo *sh*. Ex hac diversa pronunciatione diversae nominum scripturae facile explicantur. *Χέμβης* Diodori euphoniae causa pro *Χέβρης* scriptum est. Ad monumentorum scripturam proxime Manetho accedit. Diodorus narrat Chembis successorem ab aliis vocari *Cephren*, ab aliis *Chabryis*: quod tamen unum nomen esse, sed varie pronunciatum, sponte intelligitur.

3) Bunsenius propterea cogitur statuere Pammem Eratosthenis et Thamphthim Manethonis eundem esse quem monumenta Shaphra appellant.

ὃς τὴν μεγίστην ἤγειρε πυραμίδα, ἥν φησιν Ἡρόδοτος ὑπὸ Χέοπος γεγονέναι] Quum Χέοψ et Σοῦφις eiusdem nominis diversae tantum scripturae sint, Manetho Herodotum iure reprehendere non potuit quasi alii regi, quam oportuisset, maximam pyramidem adscripsisset. Attamen Herodotus castigationem merebatur, quod pyramidis conditorem post Troiani belli tempora posuisset. Et praeterea, ut ex Iosepho novimus, Herodotum ignorantiae quod ad res Aegyptiacas accusare Manetho amabat. Cf. vero Bunsenius II. p. 136, qui aliter haec verba explicat, idque paulo subtilius, ut mihi videtur.

οὗτος δὲ καὶ ὑπερόπτης εἰς θεοὺς ἐγένετο] Herodoto (l. II c. 124) sacerdotes narraverant: Cheopem ἐς πᾶσαν κακότητα ἐλάσαι· κατακληΐσαντα γάρ μιν πάντα τὰ ἱρὰ, πρῶτα μέν σφεας θυσιέων ἀπέρξαι· μετὰ δὲ, ἐργάζεσθαι ἑωυτῷ κελεύειν πάντας Αἰγυπτίους κτέ.

καὶ τὴν ἱερὰν συνέγραψε βίβλον, ἣν ὡς μέγα χρῆμα ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενος ἐκτησάμην] Hanc glossam non e Manethone excerpsisse Africanum, sed de suo addidisse, ipsa verba (ἐκτησάμην ἐν Αἰγ. γενόμενος) satis ostendunt, et sic quoque censent Bunsenius II p. 129, et Boeckhius p. 177. Tempore Africani bibliothecae abundabant libris, inprimis chemiam tractantibus, qui Pharaönibus Necepso, Nectanebo, aliisque tribuebantur; cff. Fabricius, Biblioth. Graec. l. III c. 20 § 8 in fine, Marshamus, p. 477, Reuvensius, Epist. ad Letronn. III p. 77. Africanus, quum in Aegypto erat [1]), fortasse librum Suphidi adscriptum invenerat, quod silentio praeterire noluit, quum huius nomen e Manethone in canonem suum transtulit. Eusebius totam glossam ita mutavit ut a Manethone eam profectam crederent lectores, et praeterea ex coniectura addidit Suphidem

---

1) »Freculphus Lexoviensis, *Chronic.* t. III c. 4 refert, Africanum ipsum narrare se, excitatum Heraclae episcopi fama, Alexandriam profectum.” Vossius, *de histor. Gra* . p. 281, edit. Westerm.

sacrum illum librum scripsisse, *quum pristinae impietatis illum poeniteret.* Sic Eusebius excerpere solet! Aliud exemplum, ex quo patet eum Aegyptiaca ipsa non vidisse in annot. critic. ad h. l. attuli.

ΜΕΝΧΕΡΗΣ] Herodoto *ΜΥΚΕΡΙΝΟΣ*, monumentis *ΜΕΝΚΕΡΑ*. Secundum Herodotum, l. II c. 129, patris hic facta oderat: templa ab eo clausa reseravit, populoque ultimis calamitatibus afflicto ad opera et sacrificia redire permisit. Qua re ex omnibus regibus hunc maxime Aegyptii laudabant. Confirmantur haec omnia antiquitatis Aegyptiacae reliquiis. Unius enim Mencheris nomen in sacro *libro Mortuorum* exstat; cf. Lepsius, prolegom. ad Libr. Mort. p. 11. Eiusdem regis sarcophagus nomine et titulis eius insignitus in tertia pyramide, ad pagum Gizeh, inventus est, hodieque in Museo Britannico servatur; vide libellum, saepius iam laudatum, Lenormantii, de sarcophago Mycerini, et Bunsenium II p. 169.

Ceterorum huius et sequentis dynastiae regum nomina magnam partem hieroglyphice exarata reperta sunt, de quibus cf. Bunsenius.

DYNASTIA V.

Hanc cum sequenti Memphitarum dynastia *συγχρόνον* facit Bunsenius II p. 182. Sed Lepsius testatus est inscriptiones, quas in sepulcris circum pyramides invenerat, sibi persuasisse *quintam dynastiam successisse quartae.* Cf. Boeckhius p. 3, et prolegom. p. LXI et LIII.

Tria posteriora nomina, ut videtur, in fragmento *ἀναγραφῆς* Taurinensis servata sunt, in edit. Lepsii tab. IV col. IV; nominantur ibi

Menkeher . . .	ann.	8	mens.
Tat	〃	38	〃
Ounas.	〃	30	〃

DYNASTIA VI.

Ingeniose et, nisi vehementer fallor, verissime Bunsenius II p. 189 sq. huius dynastiae Africani originem ex coniectura exposuit.

Antiquae inscriptiones, toichographia Thebana aliaeque, regem Phephe tanquam dynastiae caput designant [1]). Hic Phiops haud dubie Manethonis, et Apappus Pseudo-Eratosthenis est. Quid igitur Manetho *Othoem* ante eum in eadem dynastia ponit? Hoc satis explicat glossa Othoï apposita ὃς ὑπὸ τῶν δορυφόρων ἀνῃρέθη. Inde enim probabile fit in Manethonis Aegyptiacis traditum fuisse: *quomodo post Othoëm ultimum illius familiae regem, a satellitibus interfectum, Phiops, novae dynastiae caput, regno potitus sit.* Quod quum male Africanus intellexerit, Othoëm ad sequentem dynastiam retulit, eodem modo, quo infra Amenemen, XII[ae] dyn[ae] primum regem, ad praecedentem familiam perperam adiunxit [2]). Probabilis, credo, coniectura, sed quae admitti nequit, si voluminum subdivisionem in dynastias Manethoni tribuimus, ut facit Bunsenius. Quare ex hac ipsa Bunsenii coniectura argumentum peto, quo ea, quae in prolegom. p. XXXIII de divisione in dynastias statui, confirmem.

Eiusdem meae sententiae aliud argumentum haec ipsa dynastia praebet. Vix enim dubium est quin recte Bunsenius viderit eosdem reges, Phiopem et Menthyophim, perperam bis enumeratos esse. Verisimiliter duas easque diversas τῶν ἀναγραφῶν relationes Manetho exhibuerat: secundum quarum unam Phiops 53, et Menthyophis 7 annos regnavisset; secundum

---

1) Toichographia Thebana, inscriptio in hypogeo prope Chenoboscion, a Wilkinsone reperta, aliaeque inscriptiones iuxta Phiopem alium regem, *Merenra* nomine, commemorant. Hic, ni fallor, quamdiu Phiops minor erat, pro eo regnabat. Non mirum ergo eum a Manethone omissum esse.

2) Bunsenius *Othoëm* et *Onnum* eundem esse censet. Incerta res.

alteram, quam sequeretur Pseudo-Eratosthenes, ille 100, hic unum tantum annum. Utramque diversam notationem iuxta se invicem descripsit Africanus, et sic e duobus quatuor reges facti sunt.

Eiusmodi vitia in computatione annorum singularum dynastiarum non negligentiae solum Africani tribuenda sunt, sed studio etiam, quo ducebatur, ut profanae chronologiae vanitas incredibili annorum serie, quam complectatur, lucide appareret, cf. prolegom. p. LXVI.

ΝΙΤΩΚΡΙΣ] Nobilissimae huius reginae, praeter Manethonem et Pseudo-Eratosthenem, mentionem facit Herodot. l. II c. 100; in monumentis eius nomen nondum repertum est. Quare, quoniam Babyloniae quoque quaedam regina idem nomen gessisse dicitur, Hengstenbergius p. 259 imprudens contendit, non ad Aegyptiorum sed ad Babyloniorum historiam reginam eiusmodi nominis pertinere. Sed si ad utramque historiam Nitocris pertinere non potest, dubium non est quin iniuria eam sibi Babylonii arrogent, nam nomen Nitocris, *Net oker*, haud inusitatum Aegyptiis erat. Gerebat illud v. c. uxor Psammetichi I; cf. Leemans epist. ad Salvolinium p. 123. Facillime quoque ad radices Aegyptiacas referri potest: *Net* dea est, quam cum *Athene* Graeci componebant, et *oker*, Coptice ϫⲣⲟ, *vincere* significat. Nomen igitur *Ἀθηνᾶ νικηφόρος*, *Minerva victrix* a Pseudo-Eratosthene recte vertitur, cf. Champollio Enchirid. System. Hierogl. p. 162.

γεννικωτάτη καὶ εὐμορφοτάτη τῶν κατ᾽ αὐτὴν γενομένη, ξανθὴ τὴν χροίαν] Ex quo fonte haec hauserit Manetho, indicavi in prolegom. p. XXXVII.

ἣ τὴν τρίτην ἤγειρε πυραμίδα] Tertiam pyramidem, prope pagum Gizeh, non Nitocris condidit, sed Mycerinus, ut recte tradit Herodotus l. II c. 134. Si igitur Manethonis narrationem accurate Africanus retulit, ille sine dubio erravit. Sed fortasse erroris auctor unus Africanus fuit. Intelligi saltem nequit quomodo sacerdos Aegyptius, sacram

linguam et scripturam callens, pyramidem alii tribuere posset, non illi cuius nomen tanquam conditoris in ipso monumento inscriptum exstaret. Et Mycerini nomen in tertia pyramide inscriptum fuisse diserte dicit Diodorus l. I c. 64. Quare non improbabilis mihi videtur Bunsenii coniectura, II p. 167 et 238 sq., tertiam pyramidem a Mycerino quidem inceptam, a Nitocre vero auctam et perfectam esse. Nam, praeterquam quod, secundum Diodorum l. I c. 64, Mycerinus *πρότερον ἐτελεύτησεν, ἤπερ τὸ ἔργον ἔλαβε συντέλειαν*, ipsae aedificii reliquiae indicant maiori mensura illud esse perfectum quam qua aedificari inceperit, et praeter Mycerini sarcophagum, alius etiam rudera in altiori pyramidis parte reperta sunt. Porro Herodotus l. II c. 134 sq. et Strabo l. XVII p. 450 edit. Tauchn. fabulam citant, qua non Mycerinus, sed *ἑταῖρα* quaedam, Rhodopis, pyramidis conditor fuerit. In Rhodopim autem, i. e. *roseo vultu ornatam*, Zoëga de obelisc. p. 390 et Bunsenius II p. 237 Nitocrim latere censent *τὴν γεννικωτάτην καὶ εὐμορφοτάτην τῶν κατ᾽ αὐτὴν γενομένην*. Quibus argumentis quamvis Bunsenii suppositio non extra dubium ponatur, tamen adeo fit probabilis, ut in Manethonis gratiam afferri mereatur.

DYNASTIA VII.

Μεμφιτῶν βασιλέων $\overline{O}$, *οἳ ἐβασίλευσαν ἡμέρας* $\overline{O}$] Corrupta haec esse in annot. critica monui et nemo est, qui neget; in correctione vero discrepant viri docti. Bunsenius, II p. 247 sq., parum credibile iudicans aliquem, qui 70 dies tantum regnum obtinuerit, totam dynastiam in *ἀναγραφαῖς* Aegyptiorum constituisse, locum sic emendandum censet: *Μεμφ. β.* $\overline{E}$ (ex Eusebio) *οἳ ἐβασίλ. ἔτη* $\overline{K}$ [1]), *ἡμέρας* $\overline{O}$.

[1]) $\overline{K}$, annorum numerum e $\overline{KZ}$ numero regum sequentis dynastiae adtrahit. Plures eiusmodi emendationes, acuto Bunsenio indignissimae, egregium eius opus foedant. Quales si semel admittantur actum est de arte critica.

Mea sententia numerus $\overline{O}$, et nihil praeterea, corruptus est et fortasse ex Eusebio in $\overline{E}$ corrigendus. Utut est, hoc constat, totam dynastiam non plures quam 70 dies durasse. Sic tradunt Africanus et Eusebius, sic invenit Syncellus, ut computatio ad calcem sequentis dynastiae posita declarat. In *Aegyptiacis*, ni fallor, Africanus legerat, postquam Nitocris orba filio successori mortua esset, plures Memphitas regnum petiisse, et septuaginta dies quodammodo tenuisse, donec tandem unus eorum, adversariis armis sive pacto subactis, rex creatus sit, a quo nova inceperit dynastia. Africanum, cuius consilium ferebat, ut *omnes* Aegypti reges in dynastias distribueret, ex 70 istis diebus dynastiam confinxisse, non est quod miremur; quamvis alibi Apriem et eius depulsorem, Amasim, in eadem dynastia coniunxerit. Namque exspectare nobis non licet hominem, qualis Africanus, ubique sibi constantem futurum.

DYNASTIA VIII.

βασιλέων $\overline{KZ}$] Numerum corruptum esse sana ratio docet; quomodo restituendum cum quadam veritatis specie decerni nequit, quoniam neque Eusebius neque monumenta coniecturae ansam praebent. Bunsenius pro $\overline{KZ}$, $\overline{K}$ restituit; fortasse recte, sed res incertissima est. Regum, qui ad hanc et ad sequentes plures dynastias pertinuerint, nomina in Africani compendio desiderantur. Unde quaestio oritur, utrum Africanus longo et molesto describendi labore fessus, reges a Manethone nominatos et enumeratos omiserit, an ipse Manetho, supervacuum iudicans nomina regum, de quibus praeterea nihil fere memorandum esset, ex *ἀναγραφαῖς* transcribere, satis duxerit totius dynastiae regni spatium designasse. — Quodsi ad utriusque operis indolem et consilium attendimus, non diu quid verum sit incerti haerebimus. Cur enim Africanus, qui nomina et annos chronologice disponere solum sibi proposuerat, et ideo res gestas regum eorum-

que momentum in historiam nihil curabat, cur ille non omnia nomina, quot invenerit, descripsisset? Manetho contra, historiam Graecis conscribens, diligenter observare debebat, quid lectoribus gratum, quid odiosum esset; et quum sciret eos nudam regum obscurorum seriem minime curaturos, haud dubie satis duxit totarum dynastiarum, sub quibus nihil memorabile accidisset, spatium regni indicasse. Sic Aegyptiacorum desiderium nobis magnopere deminuitur, et comprobatur descriptio, qualem in prolegom. § 7 exhibui.

DYNASTIA IX.

Hanc et sequentem Heracleopolitarum dynastiam sibi et Memphitarum VII^ae^ et sequentibus *συγχρόνους* perperam statuit Bunsenius, II p. 264 sq., ut in prolegom. p. LIII vidimus. Manetho saltem Heracleopolitas reges in tota Aegypto regnasse narraverat.

Ἡρακλεοπολιτῶν βασιλέων] Non dicit Manetho regni sedem Heracleopolim fuisse, sed reges Heracleopoli oriundos appellat. Bunsenius, propter *συγχρονισμόν* suum, eos in patria quoque urbe habitasse putat, ideoque Heracleopolim parvam, in nomo Sethroite sitam, a Manethone designari contendit, quia eodem tempore Memphi et Heracleopoli magna, urbibus iuxta se sitis, diversas dynastias regnasse absurdum videtur. Sed Heracleopolis, simpliciter sic nominata, Heracleopolis magna semper est. Si *parvam* Noster significare voluisset, addidisset sine dubio discriminis notam; et verisimillime urbem Sethron nominasset [1]), quum Sethroitem nomon in narratione invasionis pastorum nominaverat. Vide supra p. 2 in fine. Constat igitur VIII^ae^ dynastiae successisse reges, Heracleopolitas genere, sub quibus Memphis regni sedes esse continuabat.

---

[1]) Sethron et Heracleopolis parva eandem urbem designant; cf. Champollio, *Aegypt. sub Pharaönibus*, II p. 80.

ΑΧΘΟΗΣ δεινότατος τῶν πρὸ αὐτοῦ γενόμενος κτέ.] Nominis similitudine fretus Bunsenius II p. 207 cum hoc tyrannum Diodori *Actisanem* componit; qui vero nihil nisi nomen simile habent: nam Actisanes Aethiops advena, Achthoës Heracleopolites indigena dicitur, huius crudelitas, illius clementia celebratur. Tam infirmo fundamento coniecturas non minus leves superstruit: Amasim, apud Diodorum, Actisanis antecessorem, Amyrtaeo Pseudo-Eratosthenis assimulat, eumque crudelissimum, secundum Diodorum, tyrannum *ἀνθρωποθυσίαν* sustulisse statuit, quod nempe Amasis quidam fecisse traditur! Cf. infra, fragm. 6 operis *περὶ ἀρχαϊσμοῦ*.

ὕστερον δὲ μανίᾳ περιέπεσε καὶ ὑπὸ κροκοδείλου διεφθάρη] Mythum, non historiam hic video. Crocodilus Aegyptiis symbolicum animal erat. Mortui, qui a crocodilis interfecti apparerent, sacri habebantur, et a Nili flaminibus rite sepeliebantur, ni fallit Herodotus l. II c. 90. — Menes, ut supra vidimus, a crocodilo raptus celebrabatur, et de Crocodilopolios conditore eadem traditio ferebatur [1]. Hoc loco ultoris partes crocodilus agit, et Aegyptum tyranno liberat.

DYNASTIA X.

Hanc dynastiam iuxta primam, fortasse communiter cum ea, in eadem urbe regnasse sine ulla auctoritatis specie perhibet Bunsenius II p. 264 sq. E Manethonis mente eam praecedenti successisse extra dubium est. Utrum regum et annorum numeri recte se habeant diiudicari non potest. De priore saltem dubito.

DYNASTIA XI.

Διοσπολιτῶν βασιλέων] Hucusque Memphis plerosque reges Aegypto dederat, abhinc per plures quam mille Dios-

---

[1]) Diodor. Sicul. l. I c. 89. Stephanus Byz. i. v. *Κροκοδείλων πόλις*. Cf. quae ad glossam Meni adscriptam annotavi.

politae imperium tenent, et Aegyptum non semel ad potestatis et prosperitatis fastigium efferunt. Victores XII^ae et XVIII^ae dynastiarum, Diospolitae Pharaönes, Asiae et Africae magnam partem subigunt et simul in Aegypto artes et disciplinas ad incredibilem fere perfectionis gradum extollunt. Quare vehementer dolemus, de prima eorum dynastia Africanum nobis nihil tradidisse. Numerus regum et spatium regni etiam incerta sunt: alterutrum certissime corruptum est. Feliciter monumenta antiqua brevem et incertam Africani, vel Manethonis fortasse, relationem quodammodo supplent. Ex toichographia Thebana cum stela quadam Abydena collata [1]) probabile fit primae Diospolitarum dynastiae caput esse Menthyophim quemdam, cuius quintus successor Amenemes fuerit, sequentis dynastiae pater. Sic nostrae dynastiae pro sedecim, $\overline{I\varsigma}$, fortasse sex, $\overline{\varsigma}$ reges adnumerandi erunt. Sed Menthyophim 46 saltem annos regnasse e stela Abydena constat, ita ut annorum dynastiae summa quoque corrupta sit, nisi eam ab ipso Manethone male designatam esse mavis. Huius rei certiores nos reddere unice monumenta poterunt.

Μεθ' οὓς ΑΜΜΕΝΕΜΗΣ] Vide prolegom. p. XXXIV et XXXII.

DYNASTIA XII.

Dynastia, a qua secundum Aegyptiacorum volumen incipit, dynastia heroum est. Ad eam pertinet Sesostris, cuius nomen, quamdiu Aegypti imperium stabat, in populi ore vivebat, cuius gloriam Graeci omnes praedicabant, et qui adhuc

---

1) In Lepsii *Monumentorum delectu*, tab. IX. Cf. Champollio, *Epist. II ad ducem de Blacas*, p. 116 sq. In toichographia quadam Rhamesei Thebani Rhamesem Magnum procedunt imagines illustrissimorum illius antecessorum: ante Amosem, patrem XVIII dynastiae, duo tantum apparent Menes, et Menthyophis. Nonne hoc indicat Menem primum Aegypti regem, Menthyophim primum regem Diospolitam vulgo habitum esse?

ut princeps Pharaönum a quovis celebratur. Eiusdem dynastiae Labyrinthi conditor fuit, celeberrimi aedificii, quod unum maiori labore et sumtu exactum dicit Herodotus, quam omnia simul Graecorum opera, ne Dianae Ephesiae quidem templo excepto.

Nulla quoque dynastia, si XVIII^am^ excipias, tot et tam praeclara monumenta reliquit, quam duodecima. Praeterea eius regum nomina et regnorum anni feliciter in ἀναγραφῇ Taurinensi servata sunt; toichographiae Abydena et Thebana eos exhibent, ita ut nulla periodus historiae Aegypti certior sit quam illa, in qua illustranda nunc versamur. Neque alia magis apta est ad explicandam *Aegyptiacorum* indolem, quamobrem hanc Manethonis regum seriem, praeter consuetudinem, cum antiquis chronologiae documentis diligenter comparabimus [1]). Vidimus iam supra Africani negligentia Amenemem I a ceteris huius familiae regibus esse detractum: necesse est igitur, eum suo loco reponamus, quo facto sequens tabula comparationis exsistit:

Manetho	ann.	Monumenta	ann.	mens.	dies in ἀναγραφῇ Taur. adscr.
Amenemes	16	Amenemhe I	19	"	"
Sesortosis	46	Sesortasen I	45	"	"
Amenemes	38	Amenemhe II	38	"	"
Sesostris	48	Sesortasen II	19	"	"
		Sesortasen III	35	"	"
Lachares	8	Amenemhe III	43	"	"
Ameres	8				
Amenemes	8	Amenemhe IV	9	3	27
Skemiophris	4	Sebeknophru	3	10	4
Summa annorum (in ἀναγρ. designata)			213	1	17 [2]).

[1]) Sequentia omnia a Bunsenio mutuatus sum.

[2]) Quum papyrus hic illic mutilatus sit, nonnulli numeri interierunt, quos tamen e computatione annorum totius dynastiae, in papyro servata, et aliorum monumentorum ope Bunsenius certissime restituit.

Patet ex his primo Manethonem e duobus regibus Sesortasen nominatis, unum fecisse Sesostridem, eique soli horum duorum annos tribuisse. Alterum vitium non Manethonis sed Africani esse videtur. Namque Manetho verisimiliter Labyrinthi conditorem, utroque nomine Amenemem et Marem designaverat [1]), quo melius eum a ceteris eiusdem nominis Pharaönibus huius dynastiae distingueret. More suo Africanus e duobus nominibus duos reges finxit, iisque idem regni spatium adscripsit. Spatium istud item mendosum est: pro *Η̄* scribendum fuerat *ΛΓ̄*. Credam vero corruptum iam illud in suo Aegyptiacorum codice invenisse Africanum, quoniam utrique Amenemis nomini idem annorum numerus appositus erat.

Talis collatio Manethonis et monumentorum melius docet, quid de peritia et diligentia Manethonis, de Africani excerpendi ratione, et de compendiorum utilitate cogitandum sit, quam fusa iisdem de rebus disputatio [2]).

ὃς ὑπὸ τῶν ἰδίων εὐνούχων ἀνῃρέθη] De huius caede nihil aliunde cognitum est. Quod ad *εὐνούχους*, quales h. l. memorantur, Rosellinius, apud Hengstenbergium l. l. p. 22, observat, in monumentis passim homines videri omnes notas et indicia gerentes, quae eunuchis propria sunt; cuiusmodi homines rem domesticam et artes molliores vulgo exercere.

---

1) Corruptas lectiones *ΛΑΧΑΡΗΣ* et *ΑΜΕΡΗΣ* ita corrigendas esse supra in annot. crit. monui. E *ΜΑΡΗΣ* facile factum est *ΛΑΑΡΗΣ*, quod librarii, ut hiatum tollerent, in *ΛΑΧΑΡΗΣ* vel *ΛΑΜΑΡΗΣ* vel eiusmodi quid mutarunt. *ΑΜΕΡΗΣ* ex *ΑΜΕΝΗΣ*, abrupta scriptura vocis *ΑΜΕΝΕΜΗΣ*, ortum videtur.

2) E stela, quae in Museo Leidensi servatur, et ex aliis quibusdam inscriptionibus constat binos huius dynastiae reges interdum communiter regnasse Amenemes; e. g. quatuor vel quinque annos una cum fratre (?), Sesortasen I, regnum tenuisse certum est; cf. Bunsenius II p. 293. De tali binorum eiusdem dynastiae regum *συγχρονισμῷ* Manetho omnino tacuisse videtur.

ΣΕΣΟΣΤΡΙΣ, *ὃς ἅπασαν ἐχειρώσατο τὴν Ἀσίαν κτἑ.*] Nomen regium *Sesortasen*, quod priori loco accurate *Sesortosis* reddiderat, nunc *Sesostris* paulo liberius Manetho transscribit. Jam sic designare voluit Herodoti Sesostrim et Sesortasen II eundem esse Pharaönem. Et hactenus acute vidit, et multo melius quam sacerdotum aequalium vulgus, qui Sesostrim cum Rhamese II componebant [1]). Contra si glossa in Africani compendio, regis nomini adscripta, e Manethonis opere excerpta sit, Sesostrim XII[ae] dynastiae cum Rhamese Magno miro modo confudit. Sed annotatio Africani Heerenio merito suspecta est: apparet enim eam ex Herodoti l. II c. 102 sq. conflatam esse. Quod sic explicari posset: Manethonem, quum videret Sesostrim Herodoti Sesortesen II *τῶν ἀναγραφῶν* esse, omnia, quae de illo Herodotus tradidisset, huic iure tribuere sibi visum fuisse. Sed quominus hoc modo Manethonem errasse statuamus, obstat designatio novem annorum, quibus Sesostris universam Asiam subegisset. Namque hoc non Herodotus, sed Diodorus Siculus tradidit [2]), cuius historia, quippe sub Ptolemaeo XII scripta, non Manethoni, sed Africano ad manum erat. Unde probabile fit, Manethonem paucis tantum verbis monuisse Graecorum Sesostrim eundem esse ac Sesortosen II, de quo ageret; Africanum vero, ut alibi, sic hic quoque glossam aliunde petitam inseruisse. Aliud eiusdem rei exemplum in XV[a] dyn[a] reperiemus.

ὡς ὑπὸ Αἰγυπτίων μετὰ Ὄσιριν πρῶτον νομισθῆναι] In-

---

1) Res gestas, quas Herodotus, Diodorus, Eratosthenes (apud Strabonem) aliique, secundum sacerdotes Aegyptios, Sesostri tribuunt, ad Rhamesem II fere omnes pertinere monumenta docent. Herodotus praeterea Setho historiam in Rhamesis Magni immiscet: denique recentiori aevo omnium Pharaönum facta Sesostri adscribebantur.

2) L. I c. 55. Rhamesem Magnum revera *novem annos* in Asia bellum gessisse confirmat papyrus hieraticus, de expeditione Rhamesis Magni adversus Chittaeos. Cf. Salvolinius p. 118.

terpolator haec collegit ex Herodoto l. II c. 110, et e Diodoro l. I c. 58 fin.

ὅς τὸν ἐν Ἀρσινοΐτῃ λαβύρινθον ἑαυτῷ τάφον κατεσκεύασε] Unus recte Noster Labyrinthi aedificationem Amenemi III, Mares cognominato, tribuit. Immensa eius rudera paucos ante annos Lepsius reperit et perscrutatus est, et ubique nomen Amenemis III inscriptum invenit [1]). Quid aptius excogitari potest, quo probaretur optimis fontibus Manethonem usum esse? — Arsinoïtes nomos ante Philadelphum Crocodilopolites nominabatur, cf. prolegom. p. XXVI. — Vocem *Labyrinthum* vulgo pessime formam Graecam putant nominis Aegyptiaci [2]). Genuinum Graecum vocabulum est, ut evidentissime ostendit Odofredus Muellerus, Enchirid. Archaeolog. p. 32. alt. edit. Terminatio *ινθος* Graecis haud inusitata est, veluti *Κόρινθος*, *Πέρινθος*. *Λαύρα*, (*ΛαϜύρα*) *vicus*, *platea* (a *λᾶας*, *lapide*), et *Λάρισσα*, Pelasgicum urbium nomen, affines voces sunt. *Λαβύρινθος* proprie vocabatur *σπήλαιον ἀντρῶδες* (sec. Etymol. Magn.) ad Naupliam prope Cnossum in Creta. Quum vero Hecataeus, aut quicunque Graecus primus Aegyptum descripserit, aedificium Labyrintho Cretico simile commemorare volebat, notissimo nomine illud designavit, quod deinde semper mansit.

DYNASTIA XIII.

De hac regum serie nihil omnino novimus. Paulo ante primi regis tempora, ut mihi videtur, vel paulo post, si Bunsenio credendum, pastorum invasio accidit, unde intelligitur quare monumenta eorum regni nulla fere supersint. Fortasse horum nomina in altera parte toichographiae Thebanae habemus,

---

1) Vide Bunsenium II p. VIII.

2) Cff. variorum etymologiae a Jablonskio *in Collect. Voc. Aegypt.* p. 122 enumeratae. Bunsenius e Ra-Mare illud ortum censet. — Wyttenbachius, *Selecta princip. Historic.* p. 357 (edit. quartae) Graecae originis vocem esse statuit, sed male ad radicem *λαβύρω*, *λάβω*, *capio*, refert.

sed incerta res est. Manetho, credo, nullum diserte nominavit, et merito: quid enim nuda nominum series ad historiam pragmaticam attinet? Numerus regum, Ξ̄, corruptum esse videtur. Sexaginta reges diutius regnavissent quam 453 annos; et praeterea e summa regum in secundo volumine commemoratorum, ad calcem XIX^ae^ dyn^ae^ posita, sequitur Africanum minorem numerum posuisse. Quis vero sine ullo auctoritatis fundamento verum numerum restituat?

Iosephi excerptis cum Africani compendio comparatis, verisimillimum fit decimam tertiam dynastiam *συγχρόνον* fuisse pastorum dominationi. Plura, ex quibus hoc pateat, iam disputavimus, quum de fragmento primo apud Iosephum agebamus. Nunc argumentum addam e Chronologia petitum.. Pastores Aegyptum invadere coeperunt sub finem XII^ae^ dynastiae; occupabant eam per 511 annos, donec a quarto rege sequentis Diospolitarum dynastiae depulsi sunt. Requiritur igitur ut, si horum quatuor regum anni summae nostrae dynastiae adduntur, fiant fere 511 anni, quos pastores dominati sunt: et revera hunc circiter numerum habebis.

DYNASTIA XIV.

Xoïtae huius dynastiae reges, 76 numero, 184 annos regnasse dicuntur, quod apertum mendum est, quemadmodum sana ratio docet, et computatio regum totius voluminis, de qua in praecedenti annotatione vidimus. Xoïtarum regnum *συγχρόνον* fuisse cum ultimis XIII^ae^ dynastiae Pharaönibus Diospolitis, et cum ultimis pastorum tyrannis, in annot. ad primum fragmentum demonstare conatus sum. Cf. quoque prolegom. p. LII.

DYNASTIA XV. (Africani).

De tota pastorum dominatione uberius egi, quum Iosephi eiusdem narrationis excerpta tractabam. Hoc loco igitur ea tantum explicanda erunt, quae Africano propria sunt.

Φοίνικες ξένοι] Manetho eos Arabes, non Phoenices appellaverat. Cur Africanus ab auctore suo decedat, non liquet.

ΣΑΙΤΗΣ — ἀφ' οὗ καὶ ὁ Σαΐτης νομός] Exquisita ista etymologia non Manethoni tribuenda est, sed ipsi Africano, aut, quod huius causa spero, Africani interpolatori. A Manethone primus pastorum rex *Salatis*, non *Saites* vocatur. — Reliquorum regum nomina item ex Iosepho emendanda et suis locis reponenda sunt. Neque numeri recte se habent: Pachnas (i. e. Apachnas Iosephi) non 61, sed 36 annos secundum Manethonem regnaverat.

DYNASTIA XV et seq. (Eusebii).

Eusebius pastorum regnum corrupit et turbavit, ut suis *συγχρονισμοῖς* Manethonem aptum redderet. Hoc manifesto iam exposuit Syncellus, cuius argumentationem hic apponam: *Σημειωτέον πῶς ὁ Εὐσέβιος πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τοὺς τῆς πεντεκαιδεκάτης δυναστείας παρὰ τῷ Ἀφρικανῷ φερομένους κατὰ τὴν ιζ' δυναστείαν γεγονέναι λέγει· ἐπεὶ* (sic correxit Boeckhius p. 202; vulgo *ἐπὶ*) *γὰρ πᾶσι συμπεφώνηται ὅτι ἐπὶ Ἀφώφεως ἦρξεν Ἰωσὴφ τῆς Αἰγύπτου, μὴ ἔχων ὁπωσοῦν ἐπὶ ἄλλου τινὸς αὐτὸν παραθέσθαι, μετήγαγε τὸν Ἄφωφιν ἀπὸ τῆς ιε' δυναστείας εἰς τὴν ιζ', κολοβώσας τὰ ἔτη αὐτοῦ ξα' ὑπάρχοντα εἰς λ', τὰ δὲ τῆς ὅλης δυναστείας ρνα' ργ' παραθεὶς, καὶ ἀντὶ τῶν ἓξ βασιλέων δ' μόνους.* Sic acute Syncellus. Frustra Eusebium defendere tentavit Boeckhius. Vide prolegom. p. LXXIII. Decimam quintam et sequentem dynastiam ille sine ulla auctoritate de suo addidit. Quod inter alia arguit nomen *Θηβαῖοι*, Manetho semper Diospolitas eosdem appellat. Cf. pag. 34 ann. 5.

DYNASTIA XVI. (Africani).

Unam tantum pastorum dynastiam Manethonem agnoscere, in prolegom. p. XXXIII, et in annot. ad Iosephi fragmentum p. 5 l. 1, demonstravi. Nunc explicare conabor quomodo

Africanus tres eorum dynastias distinguere potuerit. Sex priores reges nominatim a Manethone enumerati Africano prima dynastia sunt. Deinde quum omnium pastorum regnum 511 annos durasse in Aegyptiacis legebat, inde secundam dynastiam fingit, cui totidem annos adsignat. Remanet *diuturnum bellum* inter Thebaïdis reges et Hycsos. Horum reges, qui bellum istud gesserant, tertia dynastia amplectitur. Maximus igitur error, quem commisit, est, quod totius pastorum regni spatium uni dynastiae tribuat. Cetera leviora sunt. Secundae dynastiae regum numerum non definiverat, ut docet computatio in fine secundi voluminis posita. — Cf. quae ad illam annotavi. — Pro 511 annis, quos Iosephus pastores regnasse refert, in Africani compendio 518 secundae dynastiae adscribuntur. Quare aut in Iosepho $\overline{\Phi IA}$ in $\overline{\Phi IH}$ mutandum, aut apud Africanum contra $\overline{\Phi IH}$ in $\overline{\Phi IA}$, quod probabilius mihi videtur.

DYNASTIA XVII.

Quomodo corrupta huius dynastiae notitia corrigenda videatur in critica annot. exposui; emendatio quae iam iis satis defenditur, quae in praecedenti annatione animadverti. Qua ratione vero Africanus ad numerum $\overline{M\Gamma}$, sive ad annos, sive ad reges attineat, pervenerit non liquet; neque multum interest. Nam ex Iosepho certo scimus unam tantum regum pastorum seriem a Manethone exhibitam fuisse, eamque per 511 annos Aegyptum occupavisse; quid igitur curamus, quomodo Africanus numeros istos attraxerit et distribuerit?

DYNASTIA XVIII.

De hac dynastia omnino cf. Iosephum, et quae ad eum anotavi.

ΑΜΩΣ, *ἐφ᾽ οὗ Μωϋσῆς ἐξῆλθεν κτἑ.*] Nemo dubitabit synchronismum Africano tribuere. Quare ad rem, de qua

nunc agimus, non attinet. Boeckhius p. 200 sq. omnia, quae ad Africani chronologiam exitus Iudaeorum pertinent, diligenter exposuit.

ἐφ' οὗ ὁ Δευκαλίωνος κατακλυσμός] Neque haec glossa a Manethone profecta est; cf. Boeckhius p. 182 sq.

οὗτός ἐστιν ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος καὶ φθεγγόμενος λίθος] Neque huius observationis vestigium apud Iosephum exstat, quamquam vix credibile est Iosephum, si in Aegyptiacis invenisset, silentio eam praeteriturum fuisse, quippe qua demonstrare potuisset Iudaeos (quos scilicet cum Hycsos componit) ante bellum Troianum ex Aegypto exiisse. Porro Letronnius, in libello acutissime conscripto de *Memnonis statua sonora*, evidentissime ostendit tempore Manethonis fabulam Memnonis nondum ad Amenophios statuam relatam fuisse; quare ille etiam l. l. p. 41 glossam, de qua agimus, Manethoni abiudicat. Neve quis observationem istam supra Africani captum censeat, quoniam statuam, Memnonis dictam, revera tertii Amenopheos fuisse comprobatum est; nam illud Pausanias quoque novit, qui l. I c. 42: *ἀλλὰ γὰρ οὐ Μέμνονα*, ait, *οἱ Θηβαῖοι λέγουσι, Φαμένωφα δὲ εἶναι τῶν ἐγχωρίων, οὗ τοῦτο ἄγαλμα ἦν.* Phamenophis enim *ὁ Ἀμένωφις* significat: *p* sive *ph* artic. masc. Aegyptiorum est.

DYNASTIA XIX.

Secundum et tertium huius seriei reges eosdem esse, ac ultimum praecedentis eiusque successorem (cuius nomen in Africani compendio omissum est) viderunt Perizonius et Bunsenius, et commendavi in annot. ad Iosephum. Primum regem, Sethon, non post duos posteriores praecedentis dyn^ae^ reges, sed ante eos ponendum fuisse ibidem monui.

Quartus igitur, Rhameses nominatus [1]), successor illius

1) Melius eundem Iosephus Sethon vocat. Addit tamen eum etiam Rhamesem nominari.

Menophios fuit, quem a leprosis et impuris in Aethiopiam pulsum esse in altero fragmento apud Iosephum legimus.

ΑΜΜΕΝΕΜΝΗΣ] Bunsenius III p. 94 cum hoc rege componit *Amenmesem* [1]) quemdam, cuius regnum in hoc fere tempus incidisse videtur.

ΘΟΥΩΡΙΣ] Videtur hoc nomine designari regina Thaöser, vel Taseser secundum monumenta, de qua vide Leemans, epistol. ad Salvolinium p. 100 sq. Quum reginam istam, omisso marito eius Siphtha, Manetho inter Pharaönes recenseat, probabile mihi videtur illam ad regiam familiam pertinuisse, hunc non item.

ὁ παρ' Ὁμήρῳ καλούμενος Πόλυβος κτέ.] Synchronismus rursus Africano tribuendus est. Sic Boeckhius quoque censet, qui p. 184 sq. acute ostendit, quam apte illud in totam Africani chronologiam quadret.

DYNASTIA XX.

Quare Manetho reges huius dynastiae non sigillatim commemoraverit e monumentis satis liquet. Primo loco enim omnes, primo tantum excepto, idem nomen, Rhameses, gesserant, et praeterea nihil memorabile ab iis traditum fuisse videtur. Recte Africanus eos in nova dynastia posuit et a praecedentibus distinxit, nam pater huius regiae familiae, Merre-Ra, ex alia gente, quam antecessores, ortus erat; occupavit enim sepulcrum a regina Thaoser constructum, eiusque nomen ubique delendum curabat; cf. Champollio, Epistol. ex Aegypt. script. p. 255 sq. Quare haud improbabile puto Merre-Ra, seditione facta, regni potitum esse, non ex iure successionis. Haec quoque causa esse potest cur ab hac dynastia Manetho novum volumen inceperit. Numerus regum, ab Africano relatus, cum monumentorum indiciis satis convenit. Praeter Merre-Ra, undecim reges, Rhamesis nomine, e diversis documentis huc-

---

[1]) Minus accurate Bunsenius illius nomen *Amenemses* transscribit.

usque noti sunt. Neque regni spatium nimis breve putes: constat enim tertium, quartum, quintum et sextum huius familiae reges fratres fuisse. Vide Lepsium apud Bunsenium III p. 117.

DYNASTIA XXI.

βασιλέων Τανιτῶν] Nisi Africanus diserte tradidisset hanc dynastiam non, ut praecedentes, Diospoli oriundam fuisse, tamen nomina satis arguerent. Et sic quoque opitme monumentorum, quae ad illorum tempus pertineant, inopia explicatur. Tanis, antiqua et celeberrima urbs [1]), in Delta sita erat, cuius nulla, quantum scio, rudera supersunt. Trium posteriorum tantum regum nomina in monumentis reperiuntur, in quibus sacerdotes *Ammonis-Ra*, *deorum domini* [2]), appellantur. Eodem titulo ornantur sequentis dynastiae reges [3]): unde apparet post mortem ultimi Pharaönis e gente Diospolitarum, pontificem quemdam regem creatum esse. Cf. Bunsenius III p. 121.

DYNASTIA XXII.

Βουβαστιτῶν βασιλέων] Reges vigesimae secundae dynastiae, quorum nomina in monumentis reperta sunt, deam Pascht, Bubastum, praecipue coluisse dicuntur. Cf. Leemans, epist. ad Salv. p. 109 et 111. Novem quoque reges, quot in hac dynastia enumerat Africanus, antiquis documentis agnoscuntur. Vide eorum stemma, a Lepsio confectum, apud Bunsenium p. 133.

ΣΕΣΩΓΧΙΣ] Hic celeberrimus ille SESAC veteris testa-

---

1) Cf. Numer. c. XIII v. 22.

2) *Amon-Ra-Sonther*. Cf. Salvolinius, *Expedit. Rhamesis adv. Chettaeos*, p. 94.

3) Lepsius apud Lenormantium, *de sarcophago Mycerini*, p. 48.

menti est: qui, quinto regis Rehabeami anno, Iudaeae partem subegisse, et Hierosolyma ipsa obsedisse dicitur, Paralip. l. II, c. 12. Synchronismus ille non coniectura nititur, sed certissima antiquae toichographiae auctoritate. Reperit Champollio in palatii Thebani atrio, adhuc ad pagum Karnak superstite, tabulam pictam, in qua Sesonchis apparet Ammoni diisque *συννάοις* plures quam triginta figuras symbolicas offerens, quarum singulae populum aut urbem devictam, cuius nomen appositum est, designant. Inter eas cernuntur IOUDAHAMALEK, *regnum Iudaeae;* MAGDO, *Mageddo;* BAITHORON, *Bet-Horon;* MAHANEMA, *Mahanaim*, aliaque Iudaeae oppida munita [1]). Huius inventi pretium praedicare non opus est. Praeterquam quod libros sacros Hebraeorum egregie confirmat et explicat, synchronismum etiam Iudaeorum et Aegyptiorum historiae constituit, quod Chronologiae quam maxime inservit. Dolendum est quod non indicetur quo regis Sesonchios anno expeditio in Iudaeam acciderit, unde constaret quis illius regni annus cnm Rehabeami quinto anno conveniat.

Manethonem nihil de bello isto inter Iudaeos et Aegyptios tradidisse, e silentio Iosephi et Africani manifesto supra, prolegom. p. XLVII, demonstrasse mihi videor. Quod inde fortasse explicandum, quod Manetho, Asiae geographiam non accurate tenens, ignoraverit, quaenam gentes et urbes in toichographia illa designatae sint.

E ratione, qua Africanus huius dynastiae expositionem Manethonis excerpsit, probabilior etiam fit opinio mea: nomina regum septimae, octavae et sequentium aliquot dynastiarum non magis in *Aegyptiacis* quam in Africani compendio exstitisse. Namque, nisi Africanus omnia, quot in Aegyptiacis descripta inveniret, nomina referre soleret, cur,

---

[1]) Champollio, *Epistol. ex Aegypto script.* p. 99. — Toichographiae fidele apographum invenies in *Monumentis Aegypti et Nubiae* (edit. Fransc.) T II tab. CCLXXXIII et sq.

quaeso, in hac dynastia e novem tres reges nominatim attulit, ceterosque omisit, quum in promtu esset numerum tantum regum et summam annorum totius dynastiae in compendio annotare?

DYNASTIA XXIII.

Tres priores huius dynastiae reges in monumentis a Lepsio reperti sunt; vide Bunsenium III p. 135.

ἐφ' οὗ Ὀλυμπιὰς ἤχθη πρώτη] Glossa Africani; in cuius canone chronico ab anno 39° Petubastis primam Olympiadem incepisse manifesto ostendit Boeckhius p. 182 sq.

ὃν Ἡρακλέα Αἰγύπτιοι καλοῦσι] Utrum Africanus huius observationis auctorem habuerit Manethonem non liquet. Boeckhius p. 177 non credit, quia illud *Αἰγύπτιοι καλοῦσι* non ut ab Aegyptio dictum sonat. Si forte Manethoni Africanus illud debeat, eius locum saltem tam male retulit, ut quid significet decerni nequeat.

ΖΗΘ] Sethum eum vocat Herodotus l. II c. 141, eumque sacerdotem Vulcani fuisse tradit. Si vera sunt quae idem narrat, sub Sethone Sanacharibum, Assyriae regem, adversus Aegyptum expeditionem fecisse, oportuerat Africanum eum a Tanitarum dynastia seiungere, eique *post* Aethiopum regnum propriam dynastiam assignare. Nam sic *Zeth*, Aethiopum ultimo, Taraco aequalis erit. De quo fusius infra.

DYNASTIA XXIV.

ΒΟΧΧΟΡΙΣ] Recte, ut videtur, huic regi soli novam dynastiam addicit Africanus. Successit enim illi Aethiops Sabaco, et pater eius (Technatis, secundum Plutarchum de Iside c. 8, Tnephachtus, secundum Diodorum l. I c. 45) imperium militare quidem gessisse, non vero regnasse videtur. — Praeter Manethonem, Diodorus quoque Bocchoreos mentionem facit l. I c. 65. Alio nomine eum designat Herodotus, quod

omnes interpretes videtur fugisse. Ille enim l. II c. 137 narrat: quo tempore Sabaco Aegyptum subegisset, regnasse *ἄνδρα τυφλὸν ἐξ Ἀνύσιος πόλιος, τῷ οὔνομα Ἄνυσιν εἶναι.* Eundem errorem h. l. Herodotus committit, in quem saepius in referendis deorum Aegypti nominibus incidit, ut nomen viri cum urbis nomine confundat. *Anysis*, Aegyptiace *Naësi*, significat *Isidis locum* [1]), quae apta urbis appellatio, non item viri. Vix dubium igitur est, Bocchorim ex Anyside oriundum fuisse. A Manethone Saïtes vocatur, quia Anysis ad praefecturam Saïtem pertinebat, eodem modo quo XI[am] dyn[am] Diospolitam vocat, etsi proprie ex Abydo oriunda fuerit [2]). Coecum porro Anysim fuisse Herodotus refert, et Diodorus Bocchorum *τῷ σώματι παντελῶς εὐκαταφρόνητον* describit.

ἐφ' οὗ ἀρνίον ἐφθέγξατο] Aelianus, de Nat. animal. l. II c. 3, *Λέγουσιν Αἰγύπτιοι — ἄρνα καὶ ὀκτάπουν καὶ δίκερον κατὰ τὸν Βόκχοριν τὸν ᾀδόμενον ἐκεῖνον γενέσθαι, καὶ ῥῆξαι φωνήν· καὶ δύο κεφαλὰς ᾄδουσι τῆς ἀρνὸς, καὶ τετράκερον γενέσθαί φασι τὴν αὐτήν.* Ex ipso Manethone haec Aelianus hausit, huius enim scripta bene noverat, aut ex Apione, quem etiam non semel laudat. Eadem fere narrat Suidas.

DYNASTIA XXV.

Dominationem Aethiopum omnes fere, qui Aegypti historiam tractaverunt, commemorant; Herodotus et Diodorus plura et similia de ea tradunt. In eo tamen a Manethone discrepant, quod pro tribus unum tantum Aethiopum regum, Sabaconem habeant, qui, secundum Herodotum, 50

---

1) Vide Champollionem, *Aegypt. sub Pharaönibus*, II p. 200. — *Naesi* nomen urbis sacrum fuisse videtur, vulgare erat *Hebaït.*

2) Stela in Menthyophios patris honorem posita in Abydo reperta est. Vide supra, annot. ad XI[am] dynastiam.

annos Aegyptum regnaverit. Ut semper, sic nunc etiam cum Manethone monumenta consentiunt. Trium enim regum Aethiopum nomina, qualia ille refert, antiquis monumentis inscripta reperta sunt.

ΣΑΒΑΚΩΝ] Primus et secundus rex idem nomen gesserunt; quod, si accurate Graecis literis transscribis, *ΣΕΒΙΧΩΣ* audit. Primum tamen regem *ΣΑΒΑΚΩΝ* appellat, tum ut eum a secundo manifestius distinguat, tum quoniam sub eo nomine Aethiopum rex Graecis iam cognitus erat. Eodem modo Sesortasen I appellaverat Sesortasim, II vero Sesostrim. Paulo aliter diversam huius nominis apud Africanum scripturam explicat Bunsenius III p. 137.

ΤΑΡΑΚΟΣ] Huius regis tempore, si fides Iudaeorum annalibus, Sanacharibus Iudaeam et Aegyptum aggressus est. Vide Reg. l. II c. 19 v. 9. Herodotus contra l. II c. 141, sub Sethonis, flaminis Vulcani, regno, Senacheribi expeditionem ponit, quod inde fortasse explicandum, quod Sethon in inferiori, Taracus in superiori Aegypto eodem tempore regnaverint. Iosephus, Archaeol. Iud. l. X c. 1, Taracum Aethiopiae solius regem tunc temporis fuisse putat. Narrat enim „Sanacheribum, quum in eo esset ut Pelusium vi caperet, audivisse adventare *Tharsicen* Aethiopum regem, *Aegyptiis auxilium laturum;* quo rumore territum obsidionem solvisse.” Quod, si Iosephi hac in re auctoritas aliquid valeret, libens arriperem: narrant enim Herodotus et Diodorus Aethiopum regem sponte sua se Aegypti regno abdicasse, et in patriam reversum esse. Et, quum Manetho Taraco 18 tantum annos tribuat, huius vero annus 20us in Aethiopiae monumentis reperiatur, verisimiliter coniicit Boeckhius p. 330, diutius eum in Aethiopia quam in Aegypto regnasse.

Africanus igitur regem *Zeth* perperam vigesimae tertiae dynastiae adiecit. Sed quum ratio eius excerpendi ferret ut omnes reges in dynastias disponeret, quumque neque cum Aethiopibus, neque cum Saïtis Zeth recte posset coniungi,

nihil supererat nisi ut eum ad Tanitarum dynastiam referret. Oportuerat haud dubie uni Zeth totam dynastiam adsignare sed sic earum numerus nimis auctus esset.

DYNASTIA XXVI.

Priora huius dynastiae tempora adeo turbata sunt, ut sine monumentorum ope de disponendis iis vix liceat cogitare. Herodoti narratio cum Africani Manethonianis coniungi omnino nequit. Neconem, Psammetichi patrem, tertium (vel quartum) huius dynastiae regem, a Sabacone interfectum Herodotus l. II c. 152 dicit. Aut Africanus plures reges aequales unum post alterum perperam posuit, aut Herodoti relatio non vera est. Utrum statuendum sit nescio.

Porro non constat quid de primo rege apud Eusebium, cogitandum sit. Lepsius reginam fuisse credit, cuius nomen in monumentis, Amnerith scriptum, reperit. Fieri quidem potest. Quod si ponamus, verisimillimum mihi videtur in Syncelli exemplo Chronographiae Africani reginae nomen excidisse. Nam e nullo nisi ex Africano Eusebium sua hausisse persuasum mihi est.

Post Aethiopum abdicationem Aegyptum in anarchiam incidisse, aut, quod idem fere est, in plurium regulorum potestatem esse divisam, narrant Herodotus et Diodorus, et e tota regionis conditione probabile videtur. Psammetichus postea primus totius rursus Aegypti rex creatus dicitur. Si haec vera sunt, antecessores eius in vigesima sexta dynastia non in tota Aegypto sed praecipua tantum eius parte regnasse habendi sunt. Potest tamen dubitari utrum anarchiam istam Manetho agnoverit.

ΨΑΜΜΙΤΙΧΟΣ] A notissimo hoc rege chronologia et historia multo fit certior. Herodotus fusius et accuratius de hoc et sequentibus egit, et in universum cum Manethone convenit. Utriusque chronologiam Bunsenius et Boeckhius comparaverunt, quorum inquisitionis summam hic repetam.

Herodotus.		Manetho.	
Ψαμμίτιχος . . .	54 ann.	Ψαμμίτιχος . .	54 ann.
Νεκὼς	16 „	Νεχαὼ δεύτερος	6 „
Ψάμμις	6 „	Ψάμμουθις . . .	6 „
Ἀπρίης	25 „	Οὔαφρις	19 „
Ἄμασις	44 „	Ἄμωσις	44 „
Ψαμμήνιτος . . .	½ „	Ψαμμεχερίτης . .	½ „

E synchronismis Iudaeorum et Aegyptiorum constat Nechaönem non 6, sed 16 annos regnasse, ut demonstravit Boeckhius, p. 33 sq. qui idem e toto Africani chronologiae nexu [1]) comprobavit vitiosum numerum 5 haud dubie ab eo positum esse. Quod tamen minime impedit quominus statuamus verum regni spatium in Aegyptiacis designatum, sed ab Africano male relatum fuisse.

Porro Herodotus in eo a Manethone discrepat, quod Apries 6 annos plures, quam hic, tribuat. Sed quaestionem pro Manethone solvunt Florentina et duae Leidenses stelae, quas explicavit Leemans, Epist. ad Salvol. p. 126 sq.; cum quo conferatur Bunsenius III p. 142.

οὗτος εἷλε τὴν Ἱερουσαλὲμ κτἑ.] Glossa Africani.

ᾧ προσέφυγον — οἱ τῶν Ἰουδαίων ὑπόλοιποι] Eiusdem auctoris haec etiam annotatio est.

DYNASTIA XXVII.

Ex hac dynastia rursus videmus, quam parum Eusebius valeat, quoties ab Africano discedat. Huius enim numeros accurate confirmat Ptolemaei Persarum dynastia, in eius *προχείροις κανόσιν* deposita. Operae pretium est Manethonis et Ptolemaei recensionem sibi invicem opponere, ut fecit quoque Boeckhius p. 351.

---

1) Evidenter illud patet e. g. e glossa Petubasti adscripta: ἐφ' οὗ Ὀλυμπιὰς ἤχθη πρώτη. de qua vide Boeckhium p. 339.

Ptolemaeus.		Manetho.		
Cambyses . . .	8 ann.	Cambyses . .	6 ann.	
Darius I	36 "	Darius	36 "	
Xerxes	21 "	Xerxes	21 "	
		Artabanus		7 mens.
Artaxerxes I . .	41 "	Artaxerxes . .	41 "	
		Xerxes		2
		Sogdianus . .		7
Darius II . . .	19 "	Darius	19	

In universum egregie Africani Manethoniana cum Ptolemaeo consentire ex hac comparatione apparet. Nonnulla tamen observanda sunt. Cambyses Aegypti quinto regni anno potitus esse, ibique sex annos regnasse ab Africano dicitur. Quum vero totum eius regnum non longius quam 7 annos et 5 menses [1]) duraverit, aut cum Bunsenio pro ἔτει $\overline{E}$ τῆς ἑαυτοῦ βασιλείας legendum ἔτει $\overline{\Gamma}$, aut cum Boeckhio statuendum Manethonem, aut saltem Africanum, erravisse. In errorem eum facile inducere potuit hieroglyphica aliqua inscriptio, qualis in platea Kosseir, ad mare Rubrum, adhuc superest, in qua sextus Cambyseos annus commemoraretur; si nempe annum eius regni in Aegypto, non totius regni designari crediderit.

Alia observatio. In canone Ptolemaei omittuntur reges, quorum regnum non totum annum duravit: in Aegyptiacis nominantur; cuius rei causa diversa utriusque operis ratio est. In canonibus Ptolemaei, ubi chronologia, non historia exponebatur, unicuique regi totus annus, quo ad regnum adiisset, a primo die inde adscribebatur, ita ut qui brevius quam totum annum regnavissent, plane omitterentur. In Aegyptiacis contra, ubi historia primarium erat argumentum, omnes reges enumerabantur, additis annis, mensibus et die-

---

[1]) Herod. l. III c. 66 sq. Cf. Clinton, *Fast. Hellen.* II p. 326 a Boeckhio allatus.

bus, quot regnavissent. Africanus deinde, facilitatis ergo, menses delebat, et si plures quam sex essent, eorum loco totum annum numerabat, si pauciores, eos omittebat. Inde vero factum est, ut, si totius dynastiae annos computes, summa annorum maior conficiatur, quam dynastia duraverit. Quod apparebit si Ptolemaei et Africani annos, quos sibi invicem opposui, enumeras: sic enim invenies Persarum dynastiae ab Africano sedecim menses, plures quam par erat, adsignari. — Hoc uno exemplo monemur ne temere ex Africani numeris chronologiam Aegypti restituere aggrediamur.

Sub Persarum imperio Aegyptii saepius rebellabant, sub Dario I, — Herodot. l. VII c. 1 et 4 — sub Artaxerxe I, — Diodor. l. XI c. 71-77, Thucyd. l. I c. 104 — et sub Dario II, quum libertatem tandem recuperarunt. Dubitari nequit, de his omnibus fuse Manethonem egisse, sed Africani *chronographi* hoc non intererat: tempora exhibere unice curabat.

DYNASTIA XXVIII.

ΑΜΥΡΤΑΙΟΣ] Rex ille probe distinguendus ab homonymo eius, qui ab Artaxerxe antea defecerat, et cuius nepos verisimiliter fuit, ut coniicit Boeckhius p. 362. Nomen eius in monumentis *Meritet* scribitur.

DYNASTIA XXIX.

Cum Africani huius dynastiae recensione, non cum Eusebii, consentit Diodorus, l. XIV c. 79, qui regem aliquem Nepherea (Nephrea in al. codd.) sub Olymp. XCVI ponit. Secundum Africanum enim primus Nepherites ab Olymp. XCV anno 2° ad sequentis Olympiadis annum quartum regnavit. Vide Boeckhium p. 365. Duorum priorum regum nomina hieroglyphica nota sunt. Muthis, Eusebii ultimus rex, aliunde ignotus est.

DYNASTIA XXX.

Recensio Africani huius dynastiae bene convenit cum Graecorum, quot hoc tempus tetigerint, relationibus, ut diligenter exposuit Boeckhius p. 368 sq.

Eusebius Nectanebi secundo octo pro duodeviginti annis adscribit. Cum Africano consentit papyrus Graecus Musei Leidensis, (p. 122 sq. in edit. Leemansii), ubi annos 16[us] huius regis designatur.

DYNASTIA XXXI.

Num ultima dynastia Manethoni tribuenda sit merito dubitatur; vide annot. critic. Si rursus canones Ptolemaei consuluntur, vitium in Africani chronologia apparet.

Ptolemaeus.		Africanus.	
Ochos	21 ann.	Ochos, a vegesimo regni anno inde, in Aegypto regnat	2 ann.
Arogos (Arses) . .	2 〃	Arses	3 〃
Darius III	4 〃	Darius	4 〃

Nisi ergo cum Bunsenio $\overline{\Gamma}$ in $\overline{B}$ mutemus, agnoscamus necesse est Manethonis compilatorem erravisse. Eusebiani numeri huius dynastiae arbitraria sunt et omni auctoritatate carent.

OPERIS

ΠΕΡΙ ἈΡΧΑΙΣΜΟΥ ΚΑΙ ΕΥ̓ΣΕΒΕΙΑΣ

FRAGMENTA.

OPERIS

ΠΕΡΙ ΑΡΧΑΙΣΜΟΥ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ [1])

FRAGMENTA.

1. EUSEBIUS, *Praep. Euang.* L. III c. 3, p. 88.

Γράφει δὲ καὶ τὰ περὶ τούτων (de diis Aegyptiorum) *πλατύτερον μὲν ὁ Μανέθως, ἐπιτετμημένως δὲ ὁ Διόδωρος κτέ.*

Non magis quam historica, theologica Manethonis Eusebius legisse videtur. Ut illa ex Africano, sic haec e Porphyrii operibus, in primis ex opere *περὶ ἀγαλμάτων* cognovisse eum, verisimile est. Perperam Manethoni Euhemerismum Eusebius obtrudit, quo nihil a pio et credulo eius animo magis alienum.

2. THEODORETUS, *Serm. II, de Therapeut.* Tom. IV p. 501 D (edit. Sirmond.).

Μανεθὼς τὰ περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος καὶ Ἄπιδος καὶ Σαράπιδος καὶ τῶν ἄλλων θεῶν Αἰγυπτίων ἐμυθολόγησεν.

Neque Theodoretum ipsa haec *μυθολογούμενα* inspexisse credam; saltem nusquam apud eum quidquam invenitur, quod e Manethone haustum videatur. Cui vero huius operis notitiam debeat non liquet.

---

[1]) Cf. prolegom. p. LXXXVI.

3. PLUTARCHUS, *de Iside et Osiride*, c. 9, p. 354 D.

Ἔτι δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν ΑΜΟΥΝ, ὃ παράγοντες ἡμεῖς ΑΜΜΩΝΑ λέγομεν, Μανεθὼς ὁ Σεβεννύτης τὸ κεκρυμμένον οἴεται καὶ τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς.

Quod ad nominis dei scripturam et significationem, cum Manethone quodammodo convenit Iamblichus de Myst. Sect. VIII c. 3: *Ὁ γὰρ δημιουργικὸς νοῦς, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτης καὶ σοφίας ἐρχόμενος ἐπὶ γένεσιν καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων, ΑΜΩΝ κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων γλῶσσαν λέγεται.* — Et propius quidem ad Aegyptiacam scripturam *Ἀμοῦν* quam *Ἄμμων* accedit. Porro nominis interpretatio a Manethone commendata defendi saltem potest: namque radix Aegyptiaca *amen*, iisdem literis quibus nomen divinum scripta, significat *occultare*. In Coptica lingua significatio illa periit, et ⲁⲙⲟⲛⲓ nihil est nisi *detinere*, *continere*. Quapropter Iablonskius, Panth. Aegypt. I p. 180, in Plutarchi relatione errorem inesse persuasum sibi habet, quem tamen utrum Plutarcho excerpenti, an ipsi Manethoni tribuat incertus est. Utrumque antiqua monumenta erroris absolvunt, cf. Champollio, Gramm. Aegypt. p. 269. Bochartus, Geogr. Sacr. p. 831, more suo ex Hebraïcis Manethonis interpretationem explicare conatus est.

4. PLUTARCHUS, *de Iside et Osiride*, c. 49, p. 371 B.

ΒΕΒΩΝΑ[1] *δέ τινες μὲν ἕνα τῶν τοῦ Τυφῶνος ἑταίρων γεγονέναι λέγουσι, Μάνεθως δ' αὐτὸν τὸν*[2] *Τυφῶνα καὶ ΒΕΒΩΝΑ καλεῖσθαι. σημαίνει δὲ τοὔνομα κάθεξιν ἢ*

---

1) Sic Cod. Petav. Vulgo ex aliis codd. minus recte legunt *ΒΕΒΑΙΩΝΑ*. Cff. Squirius et Wijttenbachius ad h. l.

2) Sic emendavit Marklandus. Codd. *Μάνεθος αὖ τὸν Τυφῶνα.* Wijttenbachius *αὖ* in *δέ* mutandum censet.

κώλυσιν, ὡς τοῖς πράγμασιν ὁδῷ βαδίζουσι καὶ πρὸς ὃ χρὴ φερομένοις, ἐνισταμένης τῆς τοῦ Τυφῶνος δυνάμεως.

Fortasse plura huic loco contigua e Manethone hausta sunt; sed incerta res est. De nominis scriptura et significatione in sequenti fragmento videbimus. — Cum Manethone Hellanicus convenit apud Athenaeum l. XV p. 679 T, (fragm. CL, in collect. fragm. Histor. Graecor. a Mulleris curata) ubi legimus: *Τοὺς στεφάνους ἀπέθεντο οἱ θεοὶ ἐν Αἰγύπτῳ, πυθόμενοι βασιλεύειν τὸν ΒΑΒΥΝ, ὅς ἐστι Τυφών.*

5. Plutarchus, *ibid.* c. 62, p. 376 B.

Ὁ δὲ Τυφών, ὥσπερ εἴρηται, ΣΗΘ καὶ ΒΕΒΩΝ καὶ ΣΜΥ ὀνομάζεται, βίαιόν τινα καὶ κωλυτικὴν ἐπίσχεσιν, ὑπεναντίωσιν, ἢ ἀναστροφὴν ἐμφαίνειν βουλομένων τῶν ὀνομάτων. Ἔτι τὴν σιδηρῖτιν λίθον ὀστέον Ὤρου, Τυφῶνος δὲ τὸν σίδηρον, ὡς ἱστορεῖ Μανεθώς, καλοῦσιν.

Tria Typhonis nomina Plutarchum Manethoni debere e praecedenti fragmento verisimile est. Sic putat etiam Bunsenius I p. 97. Monumenta rursus omnia confirmant. Usitatissimum nomen dei, quem cum suo Typhone sive Typhoeo Graeci comparabant, SETH Aegyptiis audiebat. Praeter Plutarchum, in libello de Iside, nemo veterum, nisi Epiphanius, Typhonem ita vocat, sed in monumentis crebro hoc nomen legitur [1]). Secundum nomen BEBON ab Aegyptiis sine dubio *Bebe* pronunciabatur, quod apparet ex Hellanici loco, in praecedenti fragmento descripto, ubi idem nomen BABYS scribitur. Credo Manethonem spectare ad nomen draconis, quod *Apophis* Champollio eiusque discipuli legunt [2]). Restat nomen *ΣΜΥ*, quod aliunde incogni-

---

1) Cf. Bunsenius I p. 496 sq.

2) Champollio, *Gramm. Aegypt.* p. 126, Bunsenius I p. 498. qui *Bebonem* in monumentis non appareri contendit.

tum est. Sed Manethonianae relationis veritatem probat *liber Mortuorum*, ubi c. 19 col. 5 legitur: *Dies ille iustificationis* (Osiridis) *adversus Typhonem eiusque* SMY [1]). Iidem Typhonis socii alio loco, c. 134 col. 7, significantur oryge, animali Typhoni ante omnia sacro; cf. Champollio, Gramm. Aegypt. p. 103.

Quod ad horum nominum et cognominum significationem, recte Iablonskius, Panth. Aegypt. III p. 110, monuisse mihi videtur, Plutarchum iis perperam eandem significationem obtrudere, eaque proinde inter se confundere. Neque e Coptica lingua, neque e sacra monumentorum dialecto, eius interpretatio illustrari posse videtur.

De mystica *ferri* et *magnetis* appellatione aliunde nihil compertum habemus. Iablonskius III p. 69 haud inepte comparat libri IOBI c. 40 v. 13: *Ossa* hippopotami *veluti fistulae aeris, grandia eius ossa sicut vectis ferrea.*

5. PORPHYRIUS, *de abstinentia ab esu animalium* l. II § 55, p. 199, *ed. de Rhoer.*

Κατέλυσε δὲ ἐν Ἡλίου πόλει τῆς Αἰγύπτου τὸν τῆς ἀνθρωποκτονίας νόμον Ἄμωσις, ὡς (sic l. pro corrupto ῷ) *μαρτυρεῖ Μανεθὼς ἐν τῷ περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας. Ἐθύοντο δὲ τῇ Ἥρᾳ καὶ ἐδοκιμάζοντο, καθάπερ οἱ ζητούμενοι καθαροὶ μόσχοι καὶ συσφραγιζόμενοι· ἐθύοντο δὲ τῆς ἡμέρας τρεῖς, ἀνθ᾽ ὧν κηρίνους ἐκέλευσεν ὁ Ἄμωσις τοὺς ἴσους ἐπιτίθεσθαι* [2]).

PLUTARCHUS, *de Iside et Osiride*, c. 73, p. 380 D.

Καὶ γὰρ ἐν Εἰληθυίας πόλει (sic l. cum Marshamo, Can. Chron. p. 317. vulgo *Ἰδιθύας πόλει*) *ζῶντας ἀνθρώπους*

---

[1]) Primi huius syllabae signi pronunciatio sequitur e varia scriptura cap. 134 col. 7. — Praeterea idem nomen invenitur c. 17 col. 94, c. 18 col. 4, et passim. — Vocabulum interpretari tentaverunt Iablonskius, *Panth. Aegypt.* III p. 110, et Bunsenius I p. 498, uterque parum felici successu.

[2]) Eadem e Porphyrio proferunt Eusebius *Praep. Euang.* l. IV c. 16, p. 155 D, et Theodoretus Serm. VII, *de Sacrificiis*, p. 589 A.

κατεπίμπρασαν, ὡς Μανεθὼς ἱστόρηκε, Τυφωνίους καλοῦντες, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν λικμῶντες ἠφάνιζον καὶ διέσπειρον. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἐδρᾶτο φανερῶς καὶ καθ' ἕνα καιρὸν ἐν ταῖς Κυνάσιν ἡμέραις. αἱ δὲ κτέ.

Eundem Manethonis locum sed suo utrumque modo referre Plutarchum et Porphyrium certissimum est, quamvis Marshamus, Canon. Chron. p. 317, et Iablonskius, II p. 68 seq., paulo aliter iudicant, quoniam scilicet Porphyrius Heliopoli, Plutarchus in urbe Ilithyiae ἀνθρωποθυσίαν abrogatam esse tradant. Statuunt igitur olim in utraque urbe pariter homines immolari solitos fuisse, et de utraque Manethonem, sed diversis locis, id memoriae mandavisse. Sed quominus horum sententiam probemus obstat ipse Porphyrius. Dicit enim *Iunoni* homines istos Heliopoli sacrificatos fuisse. Sed Iuno Aegyptiaca deo Phre non σύνθρονος Heliopoli fuit, unde apparet nomen urbis apud eum corruptum esse. Quare ne dubitemus pro Ἡλίου πόλει, e Plutarcho restituere Εἰληθυίας πόλει [1]). Ilithyiae urbem in Aegypto superiori prope Latopolim sitam fuisse docet Strabo l. XVII p. 464, edit. Tauchn., qui idem addit ibi ἱερόν inveniri. Spectat magnificum illud templum, paucos ante annos destructum, deo *Sevek* et deae *Sowan* consecratum [2]). Sowan non sine causa cum Ilithyia Graeci comparabant; apparet enim in monumentis parientibus mulieribus opem ferens, cf. Champollio, Epistol. ex Aegypt. script. p. 105 sq. Minus accurate Ἥραν eam interpretatur Manetho apud Porphyrium: Iuno Aegyptiaca *Satis* appellatur, v. c. in inscriptione ad pagum *Sehhele* reperta, ubi legimus *ΣΑΤΕΙ ΤΗΙ ΚΑΙ ΗΡΑΙ.* Sed, ut sponte intelligitur, in comparandis Graecorum cum Aegyptiorum diis saepius variatur.

---

1) Cf. proleg. XXVII, annot.

2) Champollio, *Epist. ex Aegypt. script.* p. 195.

Quod ad rem ipsam, Manetho h. l. Herodoto plane adversatur. Negat enim ille, l. II c. 45, homines immolare Aegyptiis unquam moris fuisse, Graecosque, qui illud affirmarent: morum Aegyptiorum ignaros se ostendere contendit.

Illius inprimis auctoritate freti, nonnulli viri docti [1]) Manethonis relationem reiecerunt, atque contenderunt sacrificia humana nunquam, ne antiquisimis quidem temporibus, in Aegypto admissa fuisse. Quorum opinio non mediocriter ex eo confirmari videtur, quod in antiquis toichographiis et scriptis Aegyptiorum eiusmodi ἀνθρωποθυσίας huc usque nullum vestigium inventum est. Quare operae pretium arbitror omnia, quibus Nostri relatio defendi queat, diligenter h. l. conferre. Primo animadvertendum Aegyptiis sacerdotibus antiquum hominum mactandorum morem non incognitum fuisse. Nam Diodoro Sic. sacerdotes mythum Busiridis ξενοκτονίας ex eo explicabant, quod antiquitus Aegypti reges ad Osiridis tumulum Typhonios homines [2]) immolare soliti fuerint. Porro in sigillo, quo victimas immolandas οἱ σφραγισταί notabant, *homo* insculptus erat *in genua desidens*, *manibus post tergum deductis*, *ense iugulo imminente* [3]); in

---

1) Champollio Figeac, *Aegyptus antiqua*, p. 42 sq.

2) *Τῶν ἀνθρώπων τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι*. l. II c. 88. — Uno verbo Manetho eos *Τυφωνίους* recte appellat.

3) Castor apud Plutarchum *de Iside* c. 31. — »Inter monumenta Aegyptiaca Musei Caroli X servantur quoque nonnulla eiusmodi sigilla, quorum unum ligneum (a Champollione in *Descript. M. C. X* memorata p. 70, *H* 18), continet *tres homines*, eodem modo atque indicat Castor, *in genua desidentes*, *manibus pone tergum ligatis;* sed loco *ensis*, quem Castor memorat, supra eos *canis aureus* est, qui linea transversa ab iis separatur. Sigillum in superiori parte ornatur *duabus plumis struthiocameli.* Notas insculptas Champollio vertit: *scriba victimarum.*" Leemans *ad Horapoll.* l. I c. 49, p. 271.

qua sculptura vestigium antiquae hominum immolandorum consuetudinis superesse vidit Marshamus, probante Iablonskio. Denique Panyasis, si fides Seleuco apud Athenaeum l. IV c. 22, p. 172, ubi de ἀνθρωποθυσίᾳ apud Aegyptios agebat, narrabat loco hominum immolatorum postea placentas multas oblatas fuisse [1]). Quam bene illud Manethoniana illustret non opus est explicare. Cerei homines, qui pro vivis postea sacrificabantur, fuisse videntur πέμματα, *placentae*, imagine hominis devincti et ad sacrificandum parati insignitae. Sic Plutarchus, de Iside c. 30, tradit in certis quibusdam sacrificiis Aegyptios placentas (πόπανα) obtulisse, quae pro insigni asinum vinctum impressum habebant. Haud dubie haec πόπανα loco viventis asini, Typhonis symboli, sacrificabantur.

E Porphyrio porro discimus victimas humanas, non secus ac vitulos, a sacerdotibus, σφραγισταῖς sive μοσχοσφραγισταῖς nominatis, explorari et nota insigniri solitas fuisse. Quod veri non dissimile est. Solebant Aegyptii diis, non quae grata, sed quae abominata iis esse putabant, sacrificare [2]); quare boum *rufos* tantum, Typhoni ὁμοχρωμάτους [3]), mactabant. Cavendum igitur

---

[1]) Apud Athenaeum legitur πολλὰ μὲν ἐπιθεῖναι λέγων πέμματα, pro quibus speciose Iablonskius πολλὰ μὲν ἀντὶ ἀνθρώπων, πάλαι τυθέντων, ἐπιθεῖναι λέγων πέμματα substituit.

[2]) Hac etiam in re Aegyptii a ceteris antiquitatis gentibus quam maxime discrepabant, qui quod cuique numini gratissimum censebant, illi offerre gaudebant. — Aegyptiorum morem bene explicavit Hecataeus, apud Plutarch. *de Is.* c. 6, ubi tradit priscos Aegypti sacerdotes vinum libare solitos fuisse, non quod diis gratum putarent, sed quasi sanguinem eorum, qui olim adversus deos pugnavissent.

[3]) Typhonem πυρρόχρουν, Osiridem μελάγχρουν Aegyptii pingebant, cf. Plutarch. *de Isid.* c. 33. — Ut hic sic Aegyptii quoque μελάγχροες vocantur apud Herod. II c. 104, et in papyris Graecis. Infimorum ordinum Aegyptii μελίχροες describuntur, cf. Boeckhius

erat ne homo Iunoni immolaretur, quin rufus colore, aliisque necessariis indiciis *Typhonius* esset. Quum autem Aegyptii rubri colore, Osiridi ὁμοχρώματοι, essent, inde sequitur non nisi barbaros sacrificare licuisse.

Plutarchus tempus indicat quo horrenda illa sacra agerentur, ἐν ταῖς Κυνάσιν nempe ἡμέραις, quibus singulis tres homines immolatos esse addit Porphyrius. Tres quoque homines in sigillo Musei C. X apparent, cf. annot. tertia ad pag. 138. Fortasse ter singulis diebus singulos homines mactabant. Mos saltem iis erat multifaria sacra *ter* singulis diebus perficere: sic Plutarchus, de Iside c. 52, tradit Soli τριχῶς τῆς ἡμέρας sacrificari; Porphyrius, de abstin. l. IV § 7, refert sacerdotes aliquid in sacro cultu operaturos τρὶς τῆς ἡμέρας lavari solere, et in sequenti capite addit, eos τρὶς ἢ τετράκις τῆς ἡμέρας, κατὰ τὴν ἕω, καὶ τὴν ἑσπέραν, μεσουρανοῦντά τε τὸν ἥλιον, καὶ πρὸς δύσιν καταφερόμενον, hymnos in deorum honorem canere. Quare Inscr. Rosett. l. 40 sacerdotes iubet τρὶς τῆς ἡμέρας Ptolemaei simulacrum caerimoniis sacris prosequi. De immolandi ratione disertior Plutarchus est. Membrorum in altari combustorum cineres ventilando dissipabant, ne quid amplius appareret. Ad Holocaustum igitur sacrificandi genus sacra ista pertinebant, cuiusmodi sacrificium neque Hebraeis neque Graecis inusitatum. Apud illos vero hostiae holocaustae cinis non dissipabatur, sed in secreto loco servabatur, cf. e. g. Numer. c. XIX v. 9. — Apud omnes fere antiquitatis populos sacrificia humuna olim viguisse constat. Multa

---

Explicatio documenti Aegyptiaci, papyro inscripti, (Berol. 1821) p. 20 sq. — Μελάγχροες vulgo perperam interpretantur *atros colore;* in monumentis semper Aegyptii et Osiris *rubro colore* depicti sunt; et Ammianus Marcell. l. XXII c. 16 eos *subfusculos* ET *atratos* describit. Typhon in monumentis *rufus* cernitur.

huius moris exempla collegit Marshamus, Can. Chron. p. 317, quibus adde *Thargelia*, omnibus Ionibus sacra; de quibus cf. Mullerus Doriens. I p. 329 sq.

Amosis, qui horrendum illum ritum abrogasse dicitur, illustrissimae XVIII^ae Dynastiae (apud Africanum) pater est. Nam de altero huius nominis rege, sub quo Cambyses Aegyptum aggressus est, cogitari nequit. Quo tempore Herodotus Aegyptum visitabat, omnia huiusmodi ἀνθρωποθυσίας vestigia tam plane deleta erant, ut nunquam eam exstitisse crederet. — Ex hoc uno fragmento satis intelligimus, quam luculentum, et nulla re unquam compensandum, opus iactura libri περὶ ἀρχαϊσμοῦ interierit.

7. Aelianus, *de Natura Animalium*, l. X c. 16.

Ἀκούω δὲ καὶ Μανέθωνα τὸν Αἰγύπτιον, σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα, εἰπεῖν ὅτι γάλακτος ὑείου γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ λέπρας.

Plutarchus, *de Iside et Osiride*, c. 8, p. 353 F.

Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ὗν ἀνίερον ζῶον ἡγοῦνται· ὡς μάλιστα γὰρ ὀχεύεσθαι δοκεῖ τῆς σελήνης φθινούσης· καὶ τῶν τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας.

Etsi Plutarchus suae relationis auctorem non nominat, iure tamen Bochartus, Hieroz. I p. 699 [1]), statuit ex eodem fonte, quo Aelianus, eum haec hausisse.

Graecitas Aeliani non optima est. Primo illud ἀκούω nonnullos fefellit, inter quos Fabricium, qui Biblioth. Graec. l. III c. XX, vol. II p. 498: „*Librum ipsum Manethonis*," ait, „*haud vidisse eum suspiceris ex eo, quod dicit* ἀκούω εἰπεῖν." Sed imitari amat Aelianus antiquos Atticos scriptores, apud quos ἀκούω significat

---

[1]) Bocharti coniecturam probant Squirius ad Plutarchi l. l., Schneiderus in annot. ad Aelianum, et Bunsenius I p. 96.

ἀκήκοα, *audivi*, *novi*, — cf. Heindorf ad Platon. Gorg. p. 503 C. — sine ullo dubitandi indicio [1]). Hinc igitur non efficitur Manethonem ab Aeliano non fuisse lectum.

Porro observandum quam magnifice Manethonem appellet **σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα.** Pindarus, Olymp. X v. 19, quemdam **ἀκρόσοφον** nominat, quod scholiasta, iisdem prope verbis, quibus utitur Aelianus, **τὸν εἰς ἄκρον ἐληλυθότα σοφίας** interpretatur. Sed illud **ἐλαύνειν** tali sensu exquisitius etiam et affectatius est.

Si rem ipsam spectamus: a vero non abhorret legem, qua totius Orientis populi a suillis carnibus abstinerent, physicas habuisse causas. Idem saltem tradit Maemonides, a Bocharto, Hieroz. I p. 698, allatus: „Potissima causa, propter quam lex nobis prohibuit carnibus suillis vesci, est foeda porcorum sordities et quod multas sordidasque res comedant." Et Tacitus, Histor. l. V c. 4: „Sue abstinent Iudaei," ait, „memoria cladis, quod eos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium." Denique Plutarchus Sympos. l. IV c. 5, tradit suem sub ventre **λέπρας ἀνάπλεων καὶ ψωρικῶν ἐξανθημάτων** esse. Cf. praeterea Dewettius Archaeol. Hebr. § 188.

Quod addit Plutarchus, suem etiam Aegyptiis invisum esse, quod luna decrescente maxime salax sit, id quoque e Manethonis opere fluxisse mihi videtur. Aegyptiaca doctrina erat animalia quaedam divinis luminibus inimica esse; quod h. l. de sue, alibi de oryge [2]) traditur, et cynocephalo **συμπαθεία** quaedam ad lunae et solis coniunctionem adscribitur [3]). Haec causa esse videtur, quapropter, ut memorat Herod. l. II c. 147, semel quotannis, *plenilunii* tempore, sues immolarentur.

---

[1]) Cf. v. c. Demosthenis Olynth. III p. 34 v. 16; Philipp. I p. 46 v. 20; Philipp. III p. 123 v. 16 et passim.

[2]) Aelianus, *de nat. animal.* l. X c. 28. Horapollo l. I c. 49.

[3]) Horapollo l. I c. 14. Cf. Leemansium ad h. l. et, quem citat, A. Gellium, *Noct. Attic.* l. XX. c. 8.

8. EUSTATHIUS, *ad Iliadis A* v. 480.

(*Τινὲς δὲ λέγουσιν*) *ὅτι ἐκ τοῦ λάω, τὸ βλέπω, γίνεται, ὥσπερ ὁ λέων, οὕτω καὶ ὁ λὶς* (*κατὰ τὸν γραμματικὸν Ὦρον*) *ὡς ὀξυδερκής, καὶ ὅτι — ὥς φησι Μανέθων ἐν τοῖς πρὸς Ἡρόδοτον — οὐ καθεύδει ὁ λέων.*

Etymologicum Magnum i. v. *λεοντοκόμος.*

Ὀξυδερκέστατον τὸ θηρίον (*leo*), *ὥς φησι Μανέθων ἐν τῷ πρὸς Ἡρόδοτον.*

Ex Eustathii loco suspicor apud Horum grammaticum illud de leone a Manethone relatum exstitisse, indeque utrumque, et Eustathium et auctorem Etymol. M., illud descripsisse. Horus saltem communis illis fons erat. De libelli titulo, *τὰ πρὸς Ἡρόδοτον*, vidimus in prolegom. p. LXXVII. Ad quam Herodoti relationem Manethonis *φυσιολογούμενα* de leone spectaverint, ne divinari quidem potest.

Ceterum Aegyptios leonem nunquam dormire revera docuisse testantur Aelianus [1]), de Nat. Anim. l. V c. 39, (*Αἰγύπτιοι λέγουσιν*) *ὅτι κρείττων ὕπνου λέων ἐστὶν, ἀγρυπνῶν ἀεί;* et Horapollo, l. I c. 19, leonem Aegyptiis custodiae symbolum esse dicit, *ἐπειδὴ ὁ λέων ἐν τῷ ἐγρηγορέναι μέμυκε τοὺς ὀφθαλμοὺς, κοιμώμενος δὲ ἀνεῳγότας τούτους ἔχει, ὅπερ ἐστὶ τοῦ φυλάσσειν σημεῖον.*

9. DIOGENES LAERTIUS, *de vitis philosophorum, proöem. sect.* 10.

Τὴν δὲ τῶν Αἰγυπτίων φιλοσοφίαν εἶναι τοιαύτην, περί τε θεῶν καὶ ὑπὲρ δικαιοσύνης· φάσκειν τε ἀρχὴν μὲν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῶα παντοῖα (vulgo *ζῶά τινα*) *ἀποτελεσθῆναι· θεοὺς δ' εἶναι ἥλιον καὶ σελήνην, τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δ' Ἶσιν*

---

[1]) Probabile mihi videtur ipsi Manethoni Aelianum sua hac de re debere; vide prolegom. p. LXXVII.

καλουμένην· αἰνίττεσθαί τε αὐτοὺς διά τε κανθάρου καὶ δράκοντος καὶ ἱέρακος καὶ ἄλλων, ὥς φησι Μανέθως ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ, καὶ Ἑκαταῖος ἐν τῇ πρώτῃ περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας.

Diogenes h. l. Manethoniana cum Hecataei relationibus adeo confundit, ut, nisi aliunde lucem nanciscamur, distinguere ea non possimus: quare Bunsenius I p. 94 omnia Manethoni arrogare sibi permisit [1]). Sed eo confugere non est necesse. Notum enim est libros *de Aegyptiorum sapientia* auctorem habuisse Hecataeum Abderitam [2]) (non Milesium, quocum saepe confunditur), ex quo magnam partem hausit Diodorus Siculus, qui contra Manethonis opere non usus est. Quum igitur fere omnia, quae nostro loco Diogenes refert, a Diodoro quoque, sine scriptoris nomine, proferantur, verisimile est haec omnia Hecataeo, reliqua tantum Manethoni tribuenda esse. Accedit quod nonnulla, quae Bunsenius e Manethone hausta praedicat, ab eo profecta nullomodo esse possunt. Sic v. c. quae de Osiride, Sole, et de Iside, Luna, memorantur, Graecorum philosophiam physicam sapiunt. Diodorus eadem plane narrat l. I c. 11: *Τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους — ὑπολαβεῖν, εἶναι δύο θεοὺς ἀϊδίους τὲ καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι.* Num ergo dubitamus Hecataeo ea adscribere, ex quo Diodorus quoque hausisse potest? Idem de origine mundi et animalium statuendum, quam eodem modo, quo Diogenes, explicat Diodorus l. I c. 7.

---

1) Quae sequuntur apud Diog. Laert. Manethoni etiam Bunsenius tribuit, quamvis, ipso Diogene testante, ex Hecataeo et Aristagora desumta sunt.

2) Cf. Mullerus, *de Hecataeo Milesio* p. x, in praefat. ad *collect. fragm. Histor. Graecor.*

Nihil igitur a Manethone mutuatus videtur Diogenes Laertius nisi ea, quae de symbolis deorum refert. Sed non probabile est haec tantum eum fuisse descripturum, si ipsum Manethonis opus adhibuisset, quapropter opinor eum Manethoniana sua alii recentiori scriptori debere.

Ceterum *scarabaeum* et *accipitrem* revera apud Aegyptios symbolice Solem significare plures confirmant. De *scarabaeo* cff. auctores a Leemansio ad Horapoll. l. I c. 10, p. 163, allati, et de *accipitre*, Osiridem symbolice designante, Plutarchus de Iside c. 51. Quid δράκων h. l. denotet incertum est: si *basiliscum*, ut vult Bunsenius l. l., aut *thermuthim*, serpentem ab Aeliano, N. A. l. X c. 31 descriptam, quod verisimilius arbitror, vere Manetho tradidit: symbola enim dearum, inprimis Isidis, sunt.

Haec novem sola fragmenta sunt, quae a veteribus e Manethonis Archaeologico opere servata sunt. Haud dubie multo plura apud eos hic illic latent, quae tamen, quia scriptoris nomen non adscriptum est, non sine controversia illi restitui possunt. Quae vero probabili coniectura ad librum περὶ ἀρχ. καὶ εὐσ. referri posse mihi videntur, nunc recensebo.

10. Plutarchus, *de Iside et Osiride*, c. 52, c. 80 et 81.

Constat Manethonem scripsisse de *cypheos praeparatione*, cf. prolegom. p. LXXVI. Plutarchus autem, qui Manethonem ante oculos habuit, in conscribendo opusculo de Iside et Osiride, huius libelli c. 81, diligenter omnia, quae ad sacrum istud μίγμα pertinent, exposuit, unde iure effecisse videtur Bunsenius I p. 97 haec omnia e Manethone Plutarchum accepisse. Sed quae de κῦφι hic narrat, arcte cohaerent cum praecedenti trium quotidianorum sacrificiorum descriptione; quare haec quoque e Manethone desumta videntur, quem de *toto* Aegyptiorum sacro cultu egisse iam vidimus; cf. pro-

legomen. p. LXXV. — Quae ergo Manethoni reddenda videntur, omissis Plutarchi philosophumenis, haec sunt: (c. 52). *Ἡμέρας ἑκάστης τριχῶς ἐπιθυμιῶσι τῷ ἡλίῳ, ῥητίνην μὲν ὑπὸ τὰς ἀνατολὰς, σμύρναν δὲ μεσουρανοῦντι, τὸ δὲ καλούμενον κῦφι περὶ δυσμάς.* (c. 80). *Εἰ δὲ δεῖ καὶ περὶ τῶν θυμιωμένων ἡμέρας ἑκάστης εἰπεῖν,— ἀναστάντες εὐθὺς ἐπιθυμιῶσι ῥητίνην· — αὖθις δὲ μεσημβρίας τὴν σμύρναν ἐπιθυμιῶσι· — καὶ τὴν σμύρναν παρ' Αἰγυπτίοις ΒΑΛ καλοῦσιν. ἐξερμηνευθὲν δὲ τοῦτο μάλιστα φράζει τῆς ληρήσεως ἐκσκορπισμόν.* (c. 81). *Τὸ δὲ ΚΥΦΙ,* (quod vespere adolent) [1]) *μίγμα μὲν ἑκκαίδεκα γενῶν* (vulgo male *μνῶν* l.) *συντιθεμένων ἐστὶ, μέλιτος καὶ οἴνου καὶ σταφίδος καὶ κυπέρου, ῥητίνης τε καὶ σμύρνης καὶ ἀσπαλάθου καὶ σεσέλεως, ἔτι δὲ σχίνου τε καὶ ἀσφάλτου καὶ θρύου* (Xylander *θρίου*, Squirius *κρόκου* reponendum coniicit) *καὶ λαπάθου, πρὸς δὲ τούτοις ἀρκευθίδων ἀμφοῖν* (*ὧν τὴν μὲν μείζονα, τὴν δὲ ἐλάττονα καλοῦσι*) *καὶ καρδαμώμου καὶ καλάμου. Συντίθενται δὲ οὐχ ὅπως ἔτυχεν, ἀλλὰ γραμμάτων ἱερῶν τοῖς μυρεψοῖς, ὅταν ταῦτα μιγνύωσιν, ἀναγινωσκομένων. — Τῷ δὲ κῦφι χρῶνται καὶ πόματι καὶ κράματι· πινόμενον γὰρ δοκεῖ τὰ ἐντὸς καθαίρειν, κοιλίας μαλακτικόν.*

Accurata suffimenti praescriptio sacerdotem prodit, et cetera omnia non nisi ab auctore totam Aegyptiacam antiquitatem bene tenente scripta esse possunt. Ter singulis diebus odores adolere, et universe sacrificare, solitos Aegyptios fuisse in annot. ad fragm. 6 exemplis comprobavi. *Ῥητίνη*, *resina*, ad gummi genera pertinet, de quibus Plinius, Hist. Nat. l. XIII c. 11, 20: „*Gummi optimum esse ex Aegyptia spina convenit.*" Fortasse hoc optimum gummi *ῥητίνη* Manethonis est. *Σμύρναν*,

---

[1]) Haec verba, a Plutarcho omissa, addenda esse totius loci nexu demonstrat.

myrrham, qua inprimis in condiendis cadaveribus utebantur [1]), Aegyptii non *Bal* sed *Schal*, vel, secundum Manethonis transscribendi usum, *Sal* vocabant — cf. Peyron, Lex. Copt. i. v. ϣⲁⲗ — quare *ΒΑΛ* corrigendum puto in *ΣΑΛ*. Significatio, quae huic voci tribuitur, dubito num possit defendi; incertum quoque est utrum Plutarchus an Manetho eius auctor sit.

De sedecim *speciebus*, ex quibus κῦφι componebatur, non multa scimus [2]). Plurium herbarum et metallorum, in sacris usitatorum, nomina e monumentis novimus, quibusnam vero Graecis appellationibus respondeant ignoramus. Vinum (*erpe*) bibere antiquis temporibus Aegyptiis non licuit, attamen diis libare semper iis mos

---

1) Creuzerus, *Comm. Herodot.* p. 38.

2) »Extat etiam *Cypheos* praescriptio apud *Galen.* l. II περὶ ἀντιδ. p. 441, edit. Basil. e Damocratis scriptis metricis desumta: ita enim Cl. ille medicus,

Αἰγύπτιοι δὲ τοῦτο τῶν Θεῶν τισιν
Ἐπιθυμιῶσι, σκευάσαντες ὡς φράσω.
Λευκὴν λαβόντες σταφίδα τὴν λιπαρωτάτην κτέ. —
— *εἶτα δὲ λεῖα*
Ἅπαντα καταμίξαντες ἐκ τούτου κύκλους
Βραχεῖς ποιοῦντες, θυμιῶσι τοῖς Θεοῖς.

— Non in omnibus consentientes invenias *Plutarchum* et *Damocratem*, sive *Rufum*, unde sua habuisse videtur *Damocrates.* Pro *cinnamomo* enim, quod in huius praescripto exstat, *Cardamomi* semina habet Noster; nam, ut ait Metricus ille,

Ἔνιοι δὲ κινάμωμον οὐ σχόντες βαλεῖν
Μίσγουσι τ' αὐτὸ καρδαμώμου σπέρματος.

Porro pro Plutarchi *seseli*, *bitumine*, *thryo* et *lapatho* apud Damocratem extant *bdellium*, *spica nardi*, *crocus* et *cassia*, nisi pro *θρύου*, verbo nihili, apud scriptorem nostrum reponendum sit *κρόκου;* neque forsan opus adeo arduum in ceteris etiam *Plutarchum* cum *Rufo* et *Damocrate* conciliare, si vel otium suppeditaret, vel tanti esset." Squirius ad Plutarchi l. l.

erat; cf. Hecataeus apud Plutarch. de Is. c. 6. *Ἱερὰ γράμματα*, quae *cypheos* commiscendi rationem praescribebant, Stolistarum Hermeticus liber *περὶ θυμάτων* esse videtur; de quo cf. Clemens Alexandr. Strom. l. VI p. 757 (apud Zoëgam de obelisc. p. 505). — Quod in fine huius fragmenti exstat *καὶ πόματι καὶ κράματι* tautologia est, cui iure, ni fallor, medetur Squirius, eiicienda voce *καὶ κράματι*, quam ex glossemate in textum irrepsisse arbitror.

11. Plutarchus, *de Iside et Osiride* c. 28.

Πτολεμαῖος δὲ ὁ Σωτὴρ ὄναρ εἶδε (ante Bentl. legebatur *ἀνεῖλε*) *τὸν ἐν Σινώπῃ τοῦ Πλούτωνος κολοσσὸν*, (*οὐκ ἐπιστάμενος, οὐδὲ ἑωρακὼς πρότερον, οἷος ἦν* (sic scribendum cum Meziriaco; in codd. *ἦν* desideratur) *τὴν μορφὴν*) *κελεύοντα κομίσαι τὴν ταχίστην αὐτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν. Ἀγνοοῦντι δ᾽ αὐτῷ καὶ ἀποροῦντι ποῦ καθίδρυται, καὶ διηγουμένῳ τοῖς φίλοις τὴν ὄψιν, εὑρέθη πολυπλάνης ἄνθρωπος, ὄνομα Σωσίβιος, ἐν Σινώπῃ φάμενος ἑωρακέναι τοιοῦτον κολοσσὸν, οἷον ὁ βασιλεὺς ἰδεῖν ἔδοξεν. Ἔπεμψεν οὖν Σωτέλη καὶ Διόνυσον, οἳ χρόνῳ πολλῷ καὶ μόλις, οὐκ ἄνευ μέντοι θείας προνοίας, ἤγαγον ἐκκλέψαντες· ἐπεὶ δὲ κομισθεὶς ὤφθη, συμβαλόντες οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέθωνα τὸν Σεβεννύτην Πλούτωνος εἶναι* (ante Baxterum legebatur *ὄν*, nullo fere sensu) *ἄγαλμα, τῷ Κερβέρῳ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ Δράκοντι, πείθουσι τὸν Πτολεμαῖον, ὡς ἑτέρου θεῶν οὐδενὸς, ἀλλὰ Σαράπιδός ἐστιν· οὐ γὰρ ἐκεῖθεν οὕτως* (sic restituit Marklandus pro vulg. *οὗτος*) *ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ᾽ εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ᾽ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο, τὸν Σάραπιν.*

Argumenta, quibus fidens totam hanc historiolam a Manethone mutuatum esse Plutarchum censeo, haec sunt. Scripserat ille, quod e Theodoreto aliisque novimus, de Apide, Serapide, Osiride, Iside ceterisque Aegypti numinibus, in quo libro Serapidis in Pantheon Aegyptio-

rum receptionem, quam ipse inprimis adiuverat, haud dubie exposuit. Plutarchum igitur, quem hoc opere usum esse certo scimus, ex eo sua hac de re hausisse, iam idcirco probabile videtur. Sed accedit internum argumentum, quo suspicio nostra haud parum confirmatur. Verba specto *οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέθωνα τὸν Σεβεννύτην.* Cur enim in iis Timotheus titulo [1]), Manetho contra gentili nomine distinguuntur? Exspectares Plutarchum scripturum fuisse, aut *οἱ περὶ Τ. τὸν Ἀθηναῖον καὶ Μ. τὸν Σεβεννύτην*, aut, quod melius etiam, *οἱ περὶ Τ. τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μ. τὸν ἀρχιερέα*: quid enim nomina gentilia sacerdotum ad historiam Serapidis in Aegyptum introducti? Qua dignitate fungerentur huius rei auctores, lectoris scire intererat, non qua patria fuerint oriundi? Plutarchi verba unice recte explicari possunt, si ea ex ipso Manethone transscripta esse ponamus. Ferebat enim antiquus Graecorum scribendi usus, ut historicus se ipse non nisi nomine patriae designaret: sic, e. g., Xenophon, Anabas. l. III c. 1, 4: *ἦν δέ τις ἐν τῇ στρατιᾷ Ξενοφῶν Ἀθηναῖος*, et l. I c. 8, 15: *ἰδὼν δὲ αὐτὸν (τὸν Κῦρον) ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ Ξενοφῶν Ἀθηναῖος κτέ*, et sic ubique. Leve argumentum esse concedo, sed, ni fallor, eo evidentius est. Nunc de singulis, quae observanda sunt, videamus.

Utrum Serapis antiquus Aegyptiorum deus, an peregrinus, ante Ptolemaeum iis incognitus, habendus sit, dubitant viri docti. Ad hanc opinionem Bochartus, Hieroz. p. 337, ad illam Iablonskius, Panth. Aegypt. I. p. 227 sq., accedunt. Et revera in utramque partem multa disputari possunt, quibus tamen, ne longior annotatio fiat, omissis, quid mihi hac de re videatur, paucis exponam.

---

[1]) De Timotheo vidimus in prolegom. p. XXIII.

Ante Ptolemaeorum aetatem Serapidem, vel Sarapidem, ut Graeci pronunciant, in Cappadocia et Ponto cultum esse, certissimum est. Polybius l. IV c. 39, Σαραπεῖον in ora Propontidis, Hiero oppositum, commemorat, ubi fama erat Iasonem duodecim diis sacrificasse [1]. Porro Diogenes Cynicus, Sinopensis, quum Athenienses Alexandro Magno Bacchi honores decrevissent, exclamasse dicitur: *Et me Serapidem facite.* Vide Diog. Laert. l. VI § 63. Quibus adde quae de Serapide habet Plutarchus in vita Alexandri c. 73 et 76, (vol. VI p. 268 et 271, ed. Tauchn.) unde sequitur eum Alexandri aetate per totam Asiam Minorem insigniter fuisse honoratum. Namque paulo antequam Alexander mortuus est (sic narrat ille) Dionysius quidam, quem in throno sedentem invenerant, regi declaravit, sibi in carcere diu incluso subito adstitisse Serapidem, a quo deinde vinculis solutus, in palatium deductus, regio apparatu ornatus et in throno collocatus sit. Quo miraculo rex perterritus est, et, quum paulo post aegrotare inciperet, Pythonem et Seleucum ad Serapeum misit, deum rogaturos, an eo Alexandrum transportarent; quibus vero, ne eum loco moverent, responsum est. Tertio abhinc die Alexander obiit. — Ptolemaeus Lagi, qui tunc temporis in exercitu Macedonico militabat, haec omnia sine dubio probe cognoverat, et fortasse hanc ob causam, postea Aegypti rex creatus, hoc ipsum numen Alexandriam transferri, ibique eximie coli, curavit. Quae ad hanc historiam per-

---

1) Iasonis et Argonautarum mythi cum Serapide, barbaro deo, nihil commune habebant, sed per omnes Graecorum ad Pontum Euxinum deductas colonias celebrati erant — cf. Muelleri *Orchomenos* p. 285 sq. —, ita ut mirum ni cum deorum indigenorum cultu aliquando essent commixti. Hoc vero inde iure conficitur Serapidis illud templum antiquissimum fuisse.

tinent fragmentum nostrum diligenter exponit. Quum tandem simulacrum Cappodicis [numinis in Alexandriae praecipuo templo erat depositum, Manetho et Timotheus, rege verisimiliter ita volente, Aegyptiorum Plutonis imaginem esse agnoscebant; quod e cerbero et dracone, deo appositis, collegisse dicuntur. Eadem Serapidis attributa commemorat Macrobius in huius dei imaginis descriptione, Saturn. l. I c. 20, ubi legitur: „*simulacro signum tricipitis animantis adiungunt*, *quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur*, *mansueta specie blandientis*, *pars vero laeva cervicis rapacis lupi capite fingitur; easdemque formas animalium draco connectit volumine suo*, *capite redeunte ad dei dexteram*, *qua compescitur monstrum.* Insignia dei Pontici haec sunt, non Aegyptii. Osiridi infero, quem Plutonem fragmentum nostrum appellat, apponebatur femina hippopotamus, *amam* nominata [1]). Hanc bestiam cerbero Pontico assimulantes, Serapidem eundem esse ac Osiridem inferum Aegyptiorum iudicabant, utriusque nominis similitudine haud dubie inprimis freti. Nam inferus Osiris nominabatur *Osorapis* (*Heser-api*) [2]), quod a *Sarapis* non

---

1) Vide eius imaginem coloratam in Leidensi exemplari *Libri Mortuorum*, a Leemansio edito, tab. X. — Aegyptiorum *Amam* Graecorum *Cerberi* prototypum esse plures statuunt, quibus concedendum quidem est post *Homerum* custodem Hadis e *cane* (cf. Od. *Λ* 623, Il. *Θ* 368) monstrum triceps factum esse. Sed Graecorum *φαντασία*, non minus quam barbarorum monstra sibi fingere potuit, et praeterea *Amam* et *Cerberus* non adeo similes describuntur. Triceps Cappadocis Serapidis comes multo propius ad Cerberi formam accedit.

2) Cf. Champollio, *Gramm. Aegypt.* p. 64. — In papyro Graeco Musei Leidensis nominantur *Ὀσοράπις καὶ Ὀσοραμνεῦις θεοὶ μέγιστοι*, i. e., ut recte vidit Reuvensius, *Epist. III ad Letronnium* p. 50, Osiris-Apis (Sarapis) et Osiris-Mneuis. Minus recte Letronnius ad *Inscr. Rosett.* l. 31 syllabam *Osor* ex Os[iris] et Or[us] compositam arbitratur. — Inter alias falsas vocis Serapidis

multum discrepat. — Ex his apparet opinionem, qua Serapis antiquus Aegypti deus sit, non minus quam alteram, qua a Ptolemaeo e Ponto translatus dicatur, veritatis speciem habere.

Quod ad viros in hac historia nominatos: *Sosibius* aliunde bene cognitus est, si quidem ad illum spectant, quae de Sosibio Philadelphi aequali tradunt Athenaeus, alii. De *Dionyso* et de *Sotele* nihil compertum habemus. Pro ultimo nomine *Sosibium* legendum putat Squirius ad h. l., sine iusta causa, nam nomen proprium *Σωτέλης* in inscriptionibus et nummis non semel legitur, cf. Boeckhius, Corp. Inscript. No. 165 et 2610.

In libello de Iside et Osiride, farragine diversarum et sibi invicem repugnantium relationum, plura tamen exstant, quae non nisi ab homine Aegypti religionem et mores bene tenente profecta esse possunt. Haec magnam partem e Manethone desumta esse facile, credo, unusquisque agnoscet, qui in huius Plutarchei opusculi fontes paulo accuratius inquisiverit [1]). Nam neque ab Hecataeo, neque ab Eudoxo, neque ab Hellanico, neque ab alio scriptore eorum, quos laudat, talia

derivationes Plutarchus, l. l. c. 29, veram quoque memorat: *οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν ἱερέων εἰς τὸ αὐτό φασι τὸν ΟΣΙΡΙΝ συμπεπλέχθαι καὶ τὸν ΑΠΙΝ, ἐξηγούμενοι καὶ διδάσκοντες ἡμᾶς ὡς εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν.* Nec alienus sum ab opinione e Manethone rursus Plutarchum haec didicisse. Eadem de cultus animalium sensu e Porphyrii opere *περὶ ἀγαλμάτων* servavit Eusebius *Praep. Euang.* l. III c. 11. p. 116. — Veram Serapidis etymologiam profert quoque Athenodorus apud Clement. Alexandr. in *Protreptico* p. 22.

1) Squirius quoque, in annot. ad c. 5 p. 13, *plurima* Plutarchi narrata e Manethone desumta esse censet.

didicisse potest, qualia de *θρίου* significatione [1]), de Isidis cognominibus [2]), de genuino Aegypti nomine [3]), de ritibus sacris in diversis oppidis usitatis [4]), et de aliis similibus argumentis refert. Quae tamen Manethoni cum certa veritatis specie vindicari nequeunt,

---

1) C. 36. *θρίῳ βασιλέα καὶ τὸ νότιον κλίμα τοῦ κόσμου γράφουσι.* quo nihil verius. Ut *papyrus* Aegyptum *inferiorem*, sic *ramus ficulnus superiorem* (australem) hieroglyphice designat. Idem praeterea *regem* significat, quo sensu sexcenties in inscriptionibus invenitur. Miro modo Plutarchi locus Aegyptologos hucusque latuit.

2) C. 56. *ἡ δὲ Ἶσις ἔστιν ὅτε καὶ ΜΟΥΘ καὶ πάλιν ΑΘΥΡΙ καὶ ΜΕΘΥΕΡ προσαγορεύεται· σημαίνουσι δὲ τῷ μὲν πρώτῳ τῶν ὀνομάτων μητέρα, τῷ δὲ δευτέρῳ οἶκον Ὥρου κόσμιον· τὸ δὲ τρίτον συνθετόν ἐστιν ἐκ τοῦ πλήρους καὶ τοῦ αἰτίου.* Omnia verissima sunt, excepta tertii nominis interpretatione, quae ab alio auctore, quam priores, addita mihi videtur. — c. 62. *Τὴν Ἶσιν πολλάκις τῷ τῆς Ἀθηνᾶς* (Neith) *ὀνόματι καλοῦσι, φράζοντι τοιοῦτον λόγον, ἦλθον ἀπ' ἐμαυτῆς.* Et haec Aegyptium sacerdotem produnt. Cf. Bunsenius I p. 498 sq. et 453.

3) C. 33. *ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, ΧΗΜΙΑΝ καλοῦσιν.* Aegypti sincerum nomen *Cheme* est, quod significat *τὸ μέλαν*, *atratum*; cf. Champollio *Gramm. Aegypt.* — Verba *ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ*, illustrare mihi videntur syllabam trium signorum, in toichographia Thebana et alibi, hieroglyphice *Aegyptum* significantem, in qua praecipuum signum *oculus* est, cui adiungitur *circulus*, fortasse *pupillam* designans.

4) C. 30. *Βουσιρῖται καὶ Λυκοπολῖται σάλπιγξιν οὐ χρῶνται τὸ παράπαν, ὡς ὄνῳ φθεγγομέναις ἐμφερές· καὶ ὅλως τὸν ὄνον οὐ καθαρὸν, ἀλλὰ δαιμονικὸν ἡγοῦνται ζῶον εἶναι.* Haec eo confidentius Manethoni adiudicarem, quia eadem paulo accuratius refert Aelianus, qui Manethonem unum fontem cum Plutarcho communem habet, ex quo talia haurire potuerit. Locus Aeliani invenitur in libro X de *Nat. Animal.* c. 28: *σάλπιγγος ἦχον βδελύττονται Βουσιρῖται καὶ Ἄβυδος* (cf. Strabo l. XVII p. 460 ed. Tauchn.) *καὶ Λύκων πόλις· καὶ λέγουσι τὴν αἰτίαν, ἐπεί πως ἔοικεν ὄνῳ βρωμωμένῳ· ἀλλὰ καὶ ὅσοι περὶ τὴν θρησκείαν ἔχουσι τὴν τοῦ Σαράπιδος μισοῦσι τὸν ὄνον.*

nisi praemissa diligenti omnium fontium, qui Plutarcho patuerint, inquisitione et aestimatione, qualis a meo consilio aliena est.

Neque apud Plutarchum solum Manethoniana latere persuasum mihi est; apud Aelianum etiam et Porphyrium talia exstant, quae nemo nisi Noster scire et Graece enarrasse potest. Huc ante omnia pertinent descriptiones imaginum atque simulacrorum Aegyptiorum numinum, quas e Porphyrii opere *περὶ ἀγαλμάτων* nobis servavit Eusebius in Praep. Euang. l. III c. 11, p. 115 sq. [1]), quae monumentis tam eximie comprobantur, ut appareat auctorem simulacra ipsum in templis et arcanis conspexisse, ibique hieroglyphicas legisse inscriptiones. Haud igitur ineptum est, Manethoni talia adiudicare, unico auctori, qui talia scribere potuit, et revera scripsit, et quo Porphyrius usus est. Sed, quamquam equidem hoc unum argumentum sufficere opinor, tamen ne Nostro arrogem, quae aliis debentur, in fragmentorum Manethonis numerum ea recipere nolui.

---

1) In Porphyrii l. l. accurate describuntur imagines deorum *Kneph*, *Phtha* et *Phre;* simulacra deorum *Kneph* Elephantinopoli, *Hori* Apollinopoli et deae *Sowan* Ilithyiopoli; disputatur praeterea, in universum recte, de *Iside* et *Osiride*, de *cultu animalium*, de *Apide* et *Mneuide*, etc. Quam apte haec quadrent in Manethonis opus Theologicum, quale a Theodoreto describitur, monere non opus est. Vide supra, fragm. 2.

THESES.



I.

In Herodoti l. II c. 106, *ΕΓΩ ΤΗΝΔΕ ΧΩΡΑΝ ΩΜΟΙΣΙ ΤΟΙΣΙ ΕΜΟΙΣΙ ΕΚΤΗΣΑΜΗΝ*, pro *ΩΜΟΙΣΙ* restituendum est *ΟΠΛΟΙΣΙ*.

II.

In Thucydidis l. I c. 24, *ὁ δῆμος αὐτῶν ἐξεδιώξε τοὺς δυνατούς· οἱ δὲ ἀπελθόντες μετὰ τῶν βαρβάρων ἐληΐζοντο τοὺς ἐν τῇ πόλει κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν*, pro *ἀπελθόντες* legendum *ἐπελθόντες*.

III.

In Strabonis l. XVII p. 449 edit. Tauchn. *ἔστι δ' ἐν Μέμφει καὶ Ἀφροδίτης ἱερόν, θεᾶς Ἑλληνίδος νομιζομένης· τινὲς δὲ Σελήνης ἱερὸν εἶναί φασιν*, pro corrupto *Σελήνης* restituendum *Ἑλένης*.

IV.

In Eratosthenica serie regum Thebanorum apud Syncellum p. 124 A, legendum est *Θηβαίων λδ' ἐβασίλευσε ΣΕΣΟΡΤΩΣΙΣ, ὃ ἑρμηνεύεται Ἡρακλῆς κραταιός. — Θηβαίων λς' ἐβασίλευσε ΣΙΦΘΑΣ, ὃ ἑρμηνεύεται υἱὸς Ἡφαίστου.* Vulgo perperam scribitur *Σιστοσιχερμῆς Ἡρακλῆς κραταιός*, et *Σιφόας, ὃ καὶ Ἑρμῆς, υἱὸς Ἡφαίστου.*

V.

In Clementis Alexandrini loco de libris Mercurio adscriptis, Strom. l. VI c. 4, p. 757, *οὗτος (ὁ προφήτης) τὰ ἱερατικὰ καλούμενα ι' βιβλία ἐκμανθάνει· περιέχει δὲ περί τε νόμων, καὶ θεῶν καὶ τῆς ὅλης παιδείας τῶν ἱερέων*, pro *θεῶν* restituendum *θεσμῶν*.

VI.

Cognomen Iosepho a Pharaöne datum male scribitur, in Geneseos c. XLI v. 45, צפנת פענח. Levi transpositione corrigendum פצנת פענח, ut conveniat cum Graeco *ΨΟΝΘΟΜΦΑΝΗΧ*, quod habent LXX. Copticis literis transscriptum ergo fit ⲡⲥⲛⲧ ⲡⲱⲛϧ vel cum praepositione, ut habent LXX, ⲡⲥⲛ̄ⲧ ⲙ̄ ⲡⲱⲛϧ, quod significat *servatorem vitae* (cf. Gen. c. XLVII v. 25). Scriptura Hebraica ad analogiam sacrae, i. e. antiquae dialecti, Graeca ad vulgaris i. e. Copticae linguae propius accedit.

VII.

Neco, rex Aegypti, iussit Phoenices Africam circumnavigare, eo unice consilio, ut cognosceret an classis e sinu Arabico circum Africam in mare internum brevi temporis spatio pervenire posset.

VIII.

Humanitas et religio Graecorum nihil fere Aegyptiis et Phoenicibus debuerunt.

IX.

Mythus de Osiride et Iside aetate primorum Ptolemaeorum perperam cum mytho Adonidis confusus est.

X.

Dionysi cultum apud Graecos perperam Herodotus recentiorem esse contendit quam ceterorum numinum.

XI.

Mythi de Dionysi morte non ab Orphicis ficti sunt.

XII.

Ratio, qua Bilderdykius literarum notas explicandas censet, improbanda est.

XIII.

Quae Diodorus Siculus, initio libri primi, et Plutarchus, in libello de Iside et Osiride, communia habent, ea ex Hecataei Abderitae opere *περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας* desumta sunt.

XIV.

Niebuhrii et Muelleri de Rasenis, Etruriae victoribus, coniecturae non admittendae sunt.

ADDENDA ET CORRIGENDA.



P. XX. vs. 29. NIEBUHRIUS, *Iter in Arab.* I. p. 124 vers. Holland., narrat Aegyptios, quo tempore apud eos degebat, in primis mulierculas, e variis indiciis praedicere solitos, quantum quoque anno Nilus esset assurrecturus et utrum annus fertilis foret an sterilis.

P. XXII. vs. 17. *pro* Sinope *l.* Sinopae.

P. XXIII. vs. 4. *pro* ὄν *l.* εἶναι (vulgo perperam ὄν).

P. XXIV. annot. vs. 3. Cff. Andocid. de myster. § 116, Lys. c. Andoc. § 10.

P. LVI. vs. 18 et 20. *pro* Muellerus *l.* Mullerus.

P. LX. vs. 26. *pro* alterum alteri *l.* alter alteri.

P. LXXIX. i. f. Eodem tempore, quo meam de Manethonis fragmentis dissertationem scripsi, doctissimus Henne, historiae professor Bernensis, idem fere argumentum tractavit in libello: Die endliche Herstellung Manethons gegenüber Champollion-Figeac, Boeckh und Bunsen. Schaffhauzen 1847 8°. Huius vero investigationibus, quum libellum sero accepi, uti omnino non potui. Sed etiamsi prius mihi Cl. viri disputatio innotuisset, non multum tamen ex ea profecissem; nam pro critico fundamento levibus coniecturis auctor nititur, quibus varios synchronismos, inutiles omnes et idonea auctoritate destitutos, superstruit.

P. 1. annot. vs. 5. Ut exspectaveram, fragmentorum Manethonis textus e Dindorfii recensione Flavii Iosephi operum nuper in lucem emissa nullum fructum percepit. Sed felix sum quod cum lectoribus communicare possim correctiones aliquot et animadversiones criticas, quas Cl. Cobetus, pro sua humanitate, mihi utendas dedit.

P. 2. vs. 12. *pro* ἐν Μέμφιδι *l.* ἐν τῇ Μέμφιδι.

—

P. 2. vs. 17. »Restituenda codd. lectio ποτέ, μεῖζον ἰσχυόντων, ἐσομένην κτέ. *praevidens aliquando* FORE *ut Assyrii, crescentibus* »*eorum opibus*, etc., ut apparet ex μεῖζον." Cob. Male Perizonius interpretatur: *qui tunc — potentiores erant.*

P. 3. vs. 2. »Legendum καλουμένην δὲ κατὰ τὴν ἀρχαίαν θεολογίαν. »Compendia praepositionum ἀπό et κατά in codd. non multum differunt, et terminationes verborum a praepositionibus pendentium a »librariis iis accommodari solent." Cob.

P. 3. vs. 7. »ἤρχετο apud bonos scriptores nunquam imperfectum verbi »ἔρχομαι, sed semper verbi ἄρχομαι est. Eiusmodi errores Manethoni, ut barbaro Graece e libris tantum docto, condonandi sunt. »Eiusdem generis est quod infra, vs. 19, legitur ἐγενήθησαν pro »ἐγένοντο." Cob.

P. 4. vs. 2. »ποθοῦντες μᾶλλον nihil est. Vertunt intt. *maxime extinguere cupientes.*" Cob.

P. 5. vs. 7. »Pro ἡττωμένους corrigendum ἡττημένους. Si vulgatam »lectionem retinemus dixerit Iosephus: *pastores, quum* vincerentur, »*eiectos esse.*" Cob.

P. 5. vs. 11. »τέ nihil hoc loco significat, et ut otiosum expungendum." Cob.

P. 6. ann. vs. 22, *pro* ἐν τρίτῳ *l.* ἐν τρίτῃ.

P. 9. vs. 3. »μόνον δή, emendandum δέ, ut respondeat praecedenti »πᾶσαν μέν." Cob.

P. 9. vs. 11. »καταστρεφόμενος, imo καταστρεψόμενος." Cob.

P. 9. vs. 13. »ἀδελφός, requiritur articulus ὁ ἀδελφός." Cob.

P. 10. vs. 17. »τὰ μυθευόμενα καὶ λεγόμενα, tautologia est. καὶ λεγόμενα expunge." Cob.

P. 12. vs. 5. »corrige λέπρᾳ συνεχομένους. συγκεχυμένος est *con-* »*turbatus, perculsus*, ut infra p. 14 συνεχύθη." Cob.

P. 12. vs. 7. *pro* ὑποδεῖσθαι *l.* ὑποδεῖσαι.

P. 12. vs. 8. »Inter ὀφθήσονται et sequentia καὶ προσθέμενον εἰπεῖν »κτέ. lacunam esse sententiae nexus evidenter docet. Namque Amenophis iram deorum sibi et regi metuisse dicitur si sacerdotes βιασθέντες ὀφθήσονται, i. e. si coram populo, in conspectu omnium, »vis iis inferretur. Unde sequitur Amenophin iram deorum metuentem manus sacerdotibus leprosis non iniecisse, quod ipsum illi a »diis crimini datum est, et effecit ut 13 annos regno expulsus in »Aethiopia degerit. Eodem sensu Plutarchus in Agesil. c. 24 p. 609: »αἰσχυνόμενος εἰ ὀφθήσεται Θηβαίους κακῶς ποιῶν, quae verba »significant, *pudorem eum retinuisse quominus Thebanos vexaret.* »'Οφθῆναι et ὀφθήσεσθαι cum participio significant *coram populo, in conspectu omnium* fieri id, quod in participio additur." Cob.

—

P. 13. vs. 4. »*συνωμοσμένων* non est Graeca vox; in promtu est corrigere *συνομωμοσμένων*, sed quid perf. pass. h. l. significat? »Fortasse legendum *συμμεμιασμένων*." Cob.

P. 13. vs. 16. »*ἐπάξειν*. Sensu, qualis hic requiritur, Graeci non *ἐπάγειν* sed *ἐπανάγειν* dicunt; legendum ergo *ἐπανάξειν*." Cob.

P. 14. vs. 5. »*τὰ πρῶτα μάλιστα*. Legendum videtur *τὰ πρῶτα* »*καὶ μ.*" Cob.

P. 14. vs. 6. »*ὡς γ' ἑαυτόν*. Expungendum *γ'*; nihil enim h. l. sig»nificat, et, ut ait Hermannus, ne bruta quidem edunt sonos nihil »significantes." Cob.

P. 14. vs. 11. »*ἐξέθετο*. Legendum ex constanti Graecorum usu *ὑπεξ*»*έθετο*." Cob.

P. 14. vs. 12. »*ἀπαντήσασιν*. Arena sine calce; legendum *ἀπαντή*»*σας*." Cob.

P. 14. vs. 18. »*ἀνήχθη* significare debet h. l. *castra movit*. Apud »bonos scriptores semper est *navem solvit*." Cob.

P. 15. vs. 1. »*οὐχ ἧττόν γε* nihil est. In corruptis his vocabulis latet »verbum unde pendet *καὶ πόλεις καὶ κώμας*." Cob.

P. 15. vs. 7. *pro προςηνήχθησαν l. προςηνέχθησαν.*

P. 15. vs. 8. »*χειρίστην φαίνεσθαι*. Restituenda codd. lectio *χρυσὸν* »*φαίνεσθαι*." Cob.

Dicendi formulam *χρυσὸν ἀποδεικνύναι* et *χρυσὸν φαίνεσθαι*, egregie explicavit Valesius, Emendat. III. c. 17. p. 98. plurimisque exemplis eam usurpari docuit in comparatione duarum calamitatum, quarum altera, quae lenior est, *aurum* dicitur, cum graviori comparata. Eunap. de Goth. excursione in agrum Roman. *ὥστε χρυσὸν ἀποδειχθῆναι, πρὸς τὰ Θράκια πάθη, τὴν Μυσῶν παροιμιώδη λείαν*. Id. de reb. Car. Aug. *ὥστε ἀπέδειξε χρυσὸν τὴν τυραννίδα*. Egregiam hanc Valesii explicationem retractavit Hemsterhusius in Ann. ad Luc. Necyom. c. 4. vindicavitque ab usu multorum librorum, qui *χρυσοῦν ἀποδεικνύναι* exhibent. In Luciani igitur l. l. pro *χρυσοῦν ἀπέδειξε τὸν βίον* et in Plat. Epist. VII. p. 1277. C. pro *χρυσῆν ἀποδείξαντες τὴν πολιτείαν*, restituit *χρυσόν*. In Zonara praeterea, et in Theone, Progymn. p. 65. *Μένανδρος ἐν τῇ χρηστῇ ἐπικλήρῳ*, vox *χρυσοῦς* in *χρηστός* corrupta est. Cf. Wyttenb. ad Plat. Phaed. p. 181.

P. 15. v. 17. »*ὅτι τὴν πολιτείαν*. legendum *ὅτι ὁ τὴν π. κτέ.*" Cob.

P. 15. v. 23. »*φέρουσι* nihil est, fortasse scribendum *φλυαροῦσι*." Cob.

P. 40. vs. 2. *pro* ΜΑΝΕΘΩΘ *l.* ΜΑΝΕΘΩ.

P. 44. vs. 8. *pro* 7 *l.* 6.

P. 57. ann. vs. 1. *pro* Manetonem *l.* Manethonem.

P. 60. vs. 30. *pro* monitum *l.* munitum.

P. 61. vs. 27. *pro* devidebatur *l.* dividebatur.

P. 74. vs. 11. *pro* ac ille *l.* ac illum.
P. 74. vs. 26. recencebo *l.* recensebo.
P. 81. vs. 18. Idem nomen occurrit apud Hesychium in fragmento Leuconis, ubi vero genit. *Παάπιδος*, non *Παάπιος* formatur. Ut *Ἆπις Ἄπιος* et *Ἄπιδος* habet, sic quoque *Παάπιδος* et *Παάπιος* utrumque recte dicitur.
P. 83. vs. 17. *pro ὑποδεῖσθαι. l. ὑποδεῖσαι.*
P. 94. vs. 18. *pro* ita dictum *l.* pars dicta.
P. 94 ann. vs. 3. *pro* p. 934 *l.* 534.
P. 112. ann. vs. 9. *pro* Amenemes; *l.* ; Amenemen.
P. 126. vs. 11. *pro* 5 *l.* 6.
P. 126. vs. 15. *pro* Apries *l.* Aprie.
P. 129. vs. 7. *pro* annos *l.* annus.
P. 129. vs. 20. *pro* arbitraria *l.* arbitrarii.
P. 138. vs. 4. *pro* affirmarent: *l.* affirmarent,
P. 138. ann. vs. 7. *pro* memorata *l.* memoratum.
P. 145. vs. 17. Iamblichus de myster. Aegypt. Sect. VIII. c. 1. *Τὰς μὲν οὖν ὅλας ἀρχὰς Ἑρμῆς ἐν ταῖς τρισμυρίαις βίβλοις, ὡς Σέλευκος ἀνεγράψατο, ἢ ταῖς τρισμυρίαις τε καὶ ἑξακισχιλίαις καὶ πεντακοσίαις καὶ εἴκοσι πέντε, ὡς Μανεθῶς ἱστορεῖ, τελέως ἀνέδειξε.* Nullum exstat indicium ex quo verisimile fiat Iamblichum Manethonis scripta vidisse. Unde hanc notitiam acceperit non constat, sed vix dubium est, quin Iamblichus aut Iamblichi auctor Manethonis mentem non ceperit. Nam numerus 36525 non ad librorum Hermeticorum corpus sed ad astrologiam pertinet. Viginti quinque periodi Sothiacae annos conficiunt 36525, et totidem annos stetisse imperium Pharaonum tradidit vetus chronicon, vide Syncelli chronographiam p. 51 (cf. Boeckhius p. 40). Credo igitur in loco quem spectat Iamblichus, non de libris Hermeticis sed de periodo Sothiaca magna sermonem fuisse. Quoniam autem supra vidimus astrologica non Manethoni Sebennytae, sed Pseudo-Manethoni adscribenda esse, non dubito quin Iamblichi locus ad hunc referendus sit.
P. 151. ann. vs. 9. *pro* Gramm. *l.* Lexic.






LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 398 2